

Statuten

(in: A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias, J.L. Illanes, Die Prälatur Opus Dei. Zur Rechtsgeschichte eines Charismas, Münster 1994, S. 648-679). Die lateinischen Statuten wurden dem Opus Dei 1982 von der Kirche gegeben. Sie beschreiben präzise die Ziele der Prälatur sowie ihre Rechts- und Organisationsform.

28.11.2007

CODEx IURIS PARTICULARIS OPERIS DEI TITULUS DE PRAELATURAE NATURA EIUSDEMQUE CHRISTIFIDELIBUS

CAPUT I

DE PRAELATURAE NATURA ET FINE

1. § 1. Opus Dei est Praelatura personalis clericos et laicos simul complectens, ad peculiarem operam pastorem perficiendam sub regimine proprii Praelati (cfr. n. 125).

§2. Praelaturae —presbyterium constituunt illi clerici qui ex eiusdem fidelibus laicis ad Ordines promoventur et eidem incardinantur; laicatus Praelaturae ab jis fidelibus efformatur qui, vocatione divina moti, vinculo iuridico incorporationis speciali ratione Praelaturae devinciuntur.

§3. Praelatura, quae Sanctae Crucis et Operis Dei, breviato autem nomine Operis Dei nuncupatur, est ambitu internationalis, sedem suam centralem Romae habet atque regitur normis iuris universalis Praelaturarum personalium necnon horum Statutorum, et iuxta Sanctae Sedis specialia praescripta vel indulta.

2. § 1. Praelatura sibi proponit suorum fidelium, iuxta normas iuris particulares, sanctificationem per exercitium in proprio cuiusque statu, professione ac vitae condicione virtutum christianarum, secundum specificam ipsius spiritualitatem, prorsus saecularem.

§2. Item Praelatura intendit totis viribus adlaborare ut personae omnium condicionum et statuum civilis societatis, et in primis quae intellectuales dicuntur, Christi Domini praeceptis integro corde

adhaereant ipsaque, etiam ope
sanctificationis proprii
uniuscuiusque laboris professionalis,
in praxim deducant, in medio
mundo, ut omnia ad Voluntatem
Creatoris ordinentur; atque viros ac
mulieres informare ad apostolatum
item in societate civili exercendum.

3. § 1. Media quae, ad hos fines
supernaturales obtinendos,
christifideles Praelaturae adhibent,
haec sunt:

1 ° impensa vita spiritualis orationis
et sacrificii, iuxta spiritum Operis
Dei: ipsorum enim vocatio est
essentialiter contemplativa, fundatur
in humili ac sincero sensu filiationis
divinae et subridenti ascetismo
constanter sustinetur;

2° profunda ac continua institutio
ascetica et doctrinalis religiosa, ad
personalia cuiusque adiuncta
accommodata atque in ecclesiastico
Magisterio solide innixa, necnon

constans studium acquirendi et
perficiendi necessariam
formationem professionalem
propriamque animi culturam;

3° imitatio vitae absconditae Domini
Nostri Iesu Christi in Nazareth, etiam
in sanctificatione proprii laboris
professionalis ordinarii, quem,
exemplo et verbis, convertere
satagunt in instrumentum
apostolatus, unusquisque propriam
attingens actionis sphaeram, prout
sua cuiusque cultura et aptitudo
expostulant, sciensque se esse debere
tamquam fermentum in massa
humanae societatis latens; item,
seipsos sanctificent christifideles in
perfecta adimplentione huius laboris,
peracti quidem in constanti unione
cum Deo; necnon per ipsum laborem
alios sanctificent.

§2. Propterea omnes Praelaturae
christifideles:

1 ° se obligant ad exercitium laboris professionalis vel alterius aequipollentis non derelinquendum, quia per ipsum sanctificationem et peculiarem apostolatum persequentur;

2,1 quam maxima fidelitate adimplere satagunt officia proprii status necnon actionem seu professionem socialem cuiusque propriam, summa semper cum reverentia pro legitimis societatis civilis legibus; itemque labores apostolicos perficiendos, a Praelato ipsis commissos.

4. § 1. Sub regimine Praelati, presbyterium suo ministerio sacerdotali universum Opus Dei vivificat atque informat.

§2. Sacerdotium ministeriale clericorum et commune sacerdotium laicorum intime coniunguntur atque se invicem requirunt et complent, ad exsequendum, in unitate vocationis

et regiminis, finem quem Praelatura sibi proponit.

§3. In utraque pariter Operis Dei Sectione, virorum scilicet ac mulierum, eadem est unitas vocationis, spiritus, finis et regiminis, etsi unaquaeque Sectio proprios habeat apostolatus.

5. Praelatura tamquam Patronos habet Beatam Mariam semper Virginem, quam uti Matrem veneratur, et S. Ioseph, eiusdem Beatae Mariae Virginis Sponsum. Peculiar; devotione christifideles prosequuntur SS. Archangelos Michaélem, Gabrielem et Raphaélem, atque SS. Apostolos Petrum, Paulum et Ioannem, quibus universum Opus Dei eiusdemque singula actionis genera specialiter consecrantur.

CAPUT II

DE PRAELATURAE CHRISTIFIDELIBUS

6. Cuncti christifideles qui Praelaturae incorporantur, vinculo iuridico de quo in n. 27, hoc faciunt eadem divina vocatione moti: omnes eundem finem apostolicum prosequuntur, eundem spiritum eandemque praxim asceticam colunt, congruam recipiunt doctrinalem institutionem et curam sacerdotalem atque, ad finem Praelaturae quod attinet, subsunt potestati Praelati eiusque Consiliorum, iuxta normas iuris universalis et horum Statutorum.

7. § 1. Pro habituali cuiusque disponibilitate ad incumbendum officiis formationis necnon aliquibus determinatis Operis Dei apostolatus inceptis, fideles Praelaturae, sive viri sive mulieres, vocantur Numerarii, Aggregati vel Supernumerarii, quin tamen diversas classes efforment. Haec disponibilitas pendet ex diversis uniuscuiusque permanentibus adiunctis

personalibus, familiaribus,
professionalibus aliisque id genus.

§ 2. Quin Praelaturae fideles
efficiantur, ipsi aggregari valent
associati Cooperatores, de quibus in
n. 16.

8. § 1. Vocantur Numerarii illi clerici
et laici qui, speciali motione ac dono
Dei coelibatum apostolicum
servantes (cfr. Matth. XIX; 11),
peculiaribus inceptis apostolatus
Praelaturae totis viribus maximaque
ad laborandi personali disponibilitate
incumbunt, et ordinarie
commorantur in sedibus Centrorum
Operis Dei, ut illa apostolatus incepta
curent ceterorumque Praelaturae
fidelium institutioni se dedident.

§ 2. Numerariae familiarem insuper
administrationem seu domesticam
curam habent omnium Praelaturae
Centrorum, in loco tamen penitus
separato commorantes.

9. Admitti possunt qua Numerarü ii omnes fideles laici qui plena gaudeant disponibilitate ad incumbendum officüs formationis atque laboribus apostolicis peculiaribus Operis Dei, quique, cum admissionem expostulant, ordinario praediti sint titulo academico civili aut professionali aequipollenti, vel saltem post admissionem illum obtinere valeant. Praeterea, in Sectione mulierum, Numerariae Auxiliares, eadem disponibilitate ac ceterae Numerariae, vitam suam praecipue dedicant laboribus manualibus vel officüs domesticis, quae tamquam proprium laborem professionalem voluntarie suscipiunt, in sedibus Centrorum Operis.

10. § 1. Vocantur Aggregati illi fideles laici qui vitam suam plene Domino tradentes in coelibatu apostolico et iuxta spiritum Operis Dei, curam tamen impendere debent in suas

concretas ac permanentes
necessitates personales, familiares
vel professionali, quae eos
ordinarie ducunt ad commorandum
cum propria ipsorum familia. Haec
omnia determinant simul eorum
dedicationem aliquibus officüs
apostolatus vel formationis Operis
Dei perficiendis.

§ 2. Aggregati, nisi aliud pro eis
specialiter caveatur, omnia officia
seu obligationes suscipiunt ac
Numerarü, et ipsorum identicis
mediis asceticis ad assequendam
sanctitatem et apostolatum
exercendum uti debent.

11. § 1. Vocantur Supernumerarii ii
omnes fideles laici, coelibes et etiam
coniugati, qui, eadem vocatione
divina ac Numerarü et Aggregati,
peculiarem apostolatum Operis Dei
plene participant, ea quidem
disponibilitate quoad incepta
apostolica, quae sit compatibilis cum

adimpletione suarum obligationum familiarium, professionalium ac socialium; quique non solum suam vitam suamque professionem convertunt, sicut et ceteri alii Praelaturae christifideles, in medium sanctificationis et apostolatus, verum etiam, non aliter ac Aggregati, propriam domum propriasque familiares occupationes.

§ 2. Supernumerarii de eodem spiritu vivunt, et pro viribus easdem servant consuetudines ac Numerarü et Aggregati.

12. Inter Aggregatos et Supernumerarios recipi valent etiam chronica aliqua infirmitate laborantes.

13. Numerarü specialiter dicati muneribus regiminis vel formationis residere debent in sede Centrorum quae ad hunc finem destinantur.

14. § 1. Candidatus qui litteras scripserit expostulando admissionem in Opus Dei qua Numerarius vel Aggregatus, cum ipsi ordinarie per competentem Directorem significetur suam petitionem dignam, quae examinetur, habitam fuisse, eo ipso inter Supernumerarios admissus manet, quoadusque eidem concedatur admissio quam exoravit.

§2. Si quis ante incorporationem ut Numerarius vel Aggregatus videtur ad hoc idoneitate carere, potest in Opere Dei retineri qua Supernumerarius, modo requisitas condiciones habeat.

15. Possunt Supernumerarii inter Numerarios vel Aggregatos recipi, modo tamen requisitis polleant qualitatibus.

16. § 1. Cooperatores, assiduis precibus ad Deum effusis, eleemosynis, et quatenus possibile etiam proprio labore,

collaborationem praestant operibus apostolicis et bona spiritualia Operis Dei participant.

§ 2. Sunt etiam qui a domo paterna diversimode longe absunt vel veritatem catholicam non profitentur, qui attamen adiumentum Operi Dei proprio labore aut eleemosynis praestant. Hi iure meritoque Operis Dei Cooperatores nuncupari quoque possunt. Cuncti Praelaturae fideles, oratione, sacrificio, conversatione, ita cum his Cooperatoribus laborare debent ut, Beatissima Virgine intercedente, a misericordia divina indeficiens lumen fidei pro ipsis consequantur, eosque ad christianos mores suaviter et efficaciter trahant.

CAPUT III

DE FIDELIUM ADMISSIONE ET INCORPORATIONE IN PRAELATURAM

17. Adscriptio tres gradus comprehendit: simplicis Admissionis, quam facit Vicarius Regionalis, audita sua Commissione; incorporationis temporaneae, quae Oblatio dicitur, post annum saltem ab Admissionem; incorporationis definitivae seu Fidelitatis, post quinquennium saltem ab incorporatione temporanea transactum.

18. Admissionem postulare valet, habita quidem Directoris localis licentia, quilibet laicus catholicus qui, praeter aetatem et alias qualitates requisitas, de quibus in n. 20, recta intentione moveatur ex vocatione divina ad enixe prosequendam suam sanctificationem, mediante proprio labore vel professione, quin ideo mutet suum statum canonicum, velitque totis viribus incumbere apostolatu exercendo, iuxta fines ac media Operis Dei propria, et ad

eiusdem onera ferenda eiusdemque
peculiares labores exercendos sit
idoneus.

19. Candidatus expostulare tenetur
suam admissionem mediantibus
litteris ad competentem Praelaturae
Ordinarium inscribendis, in quibus
manifestet suum desiderium ad Opus
Dei pertinendi qua Numerarius,
Aggregatus vel Supernumerarius.

20. § 1. Ut quis possit ad Praelaturam
admitti requiritur:

1 ° ut aetatem saltem decem et
septem annorum compleverit;

2° ut in sanctificationem personalem
incumbat, enixe colendo virtutes
christianas, iuxta spiritum et praxim
asceticam quae Operis Dei sunt
propria;

3 0 ut vitae spirituali prospiciat, per
frequentem receptionem
Sacramentorum SS. Eucharistiae et

Paenitentiae et per exercitium
orationis mentalis quotidianae
aliarumque normarum pietatis
Operis Dei;

40 ut antea in apostolatu peculiari
Operis Dei, per dimidium saltem
annum, sub ductu auctoritatis
competentis sese exercuerit; nihil
obstat quominus candidatus iam
prius per aliquot tempus ut
adspirans habeatur, quin tamen ad
praelaturam adhuc pertineat;

50 ut ceteris qualitatibus
personalibus sit praeditus, quibus
experimentum praebeat se recepisse
vocationem ad Opus Dei.

§2. Ab Opere Dei arcentur qui
alicuius Instituti religiosi vel
Societatis vitae communis fuerit
sodalis, novitius, postulans vel
alumnus scholae apostolicae; et qui
in aliquo Instituto saeculari qua
probandus degerit vel admissionem
expostulaverit.

§3. Praeterea, ne dioeceses priventur propriis vocationibus sacerdotalibus, ad Praelaturam non admittuntur alumni Seminariorum, sive laici sive clerici, neque sacerdotes alicui dioecesi incardinati.

21. Candidati, ex quo admissionem expostulent eisque significetur suam petitionem dignam, quae examinetur, habitam esse ad normam n. 14 § 1, ius habent recipiendi congrua formationis media necnon curam ministerialem sacerdotum Praelaturae.

22. Edocendus est candidatus, antequam admittatur, spiritum Operis Dei exigere ut unusquisque vitam agat impensi laboris, utque, mediante exercitio propriae professionis vel actuositatis, sibi procuret media oeconomica: ea nempe quae sunt necessaria non solum ad suipsius et, si res id ferat, suae familiae sustentationem, sed

etiam ad contribuendum generose et iuxta propria personalia adiuncta operibus apostolicis sustinendis.

23. Incorporatio, tum temporanea tum definitiva, requirit praeter liberam et expressam candidati voluntatem, opportunam concessionem Vicarii Regionalis cum voto deliberativo sui Consilii; si vero de incorporatione definitiva agatur, necessaria est insuper Praelati confirmatio.

24. § 1. Cuncti Praelaturae fideles necessarias assumere debent assecurationes seu cautiones, quas civiles leges pro casibus defectus vel impossibilitatis laboris, infirmitatis, senectutis, etc., praevident.

§2. Quoties, attentis adiunctis, id requiratur, Praelaturae officium est subveniendi necessitatibus materialibus Numerariorum et Aggregatorum.

§ 3. Fidelium, de quibus in paragrapho praecedenti, parentibus forte indigentibus, Praelatura, qua par est caritate et generositate providet, quin ex hoc iuridica quaelibet obligatio umquam oriri possit.

25. Incorporatio temporanea singulis annis ab unoquoque fidei singillatim renovatur. Ad hanc renovationem requiritur et sufficit licentia Vicarii Regionalis, qui, in casu dubii, suam Commissionem et Directorem localem cum eius Consilio audire potest. Si nullum dubium subsit circa Vicarii renovationi contrariam voluntatem, et nihil ex parte Directoris obsit, licentia iure praesumitur et incorporatio temporanea renovata potest; iure iterum praesumitur renovationem tacite factam fuisse si fidelis prius non manifestaverit suam voluntatem renovationi contrariam; ipsa vero renovatio subiicitur conditioni

resolutivae si Vicarius de ea certior factus, una cum Defensore et audita sua Commissione, contradicat.

26. Quando aliquis Supernumerarius devenerit Aggregatus aut Numerarius, potest totaliter vel partialiter dispensari circa tempus requisitum pro nova incorporatione temporanea vel definitiva, sed a speciali formatione nullatenus dispensatur.

27. § 1. Pro incorporatione temporanea vel definitiva alicuius christifidelis, fiat a Praelatura et ab eo cuius intersit formalis declaratio coram duobus testibus circa mutua officia et iura.

§2. Praelatura, quae in casu ab eo repraesentatur, quem Vicarius respectivae circumscriptionis designaverit, a momento incorporationis eiusdem christifidelis eaque perdurante, se obligabit:

1 ° ad praebendam eidem christifideli assiduam institutionem doctrinalem religiosam, spiritualem, asceticam et apostolicam, necnon peculiarem curam pastorem ex parte sacerdotum Praelaturae;

2° ad adimplendas ceteras obligationes quae, erga eiusdem christifideles, in normis Praelaturam regentibus statuuntur.

§ 3. Christifidelis vero suum firmum propositum manifestabit se totis viribus dicendi ad sanctitatem prosequendam atque ad exercendum apostolatum iuxta spiritum et praxim Operis Dei, seque obligabit, a momento incorporationis eaque perdurante:

1 ° ad manendum sub iurisdictione Praelati aliarumque Praelaturae competentium auctoritatum, ut fideliter sese impendat in jis omnibus quae ad finem peculiarem Praelaturae attinent;

2 ° ad adimplenda omnia officia quae
secum fert condicio Numerarj vel
Aggregati vel Supernumerarii Operis
Dei atque ad servandas normas
Praelaturam regentes necnon
legitimas praescriptiones Praelati
aliarumque competentium
auctoritatum Praelaturae quoad eius
regimen, spiritum et apostolatum.

§4. Quod attinet ad Praelaturae
fideles, potest Ordinarius
Praelaturae, fusta de causa, vota
privata itemque iusiurandum
promissorium dispensare, dummodo
dispensatio ne laedat ius alius
quaesitum. Potest quoque, quoad
eosdem fideles, adscriptionem alicui
tertio Ordini suspendere, ita tamen
ut ipsa reviviscat si, qualibet de
causa, vinculum cum Praelatura
cesset.

CAPUT IV

DE FIDELIUM DISCESSU ET DIMISSIONE A PRAELATURA

28. § 1. Antequam aliquis temporaliter Praelaturae incorporetur, potest quovis momento libere ipsam deserere.

§2. Pariter auctoritas competens, ob fustas et rationabiles causas, valet eum non admittere, aut el discedendi consilium dare. Hae causae praesertim sunt defectus spiritus proprü Operis Dei et aptitudinis ad apostolatum peculiarem fidelium Praelaturae.

29. Perdurante incorporatione temporanea vel iam facta definitiva, ut quis possit Praelaturam voluntarie relinquere, indiget dispensatione, quam unus Praelatus concedere potest, audito proprio Consilio et Commissione Regionali.

30. § 1. Fideles temporarie vel definitive Praelaturae incorporati nequeunt dimitti nisi ob graves causas, quae, si agatur de incorporatione definitiva, semper ex

culpa eiusdem fidelis procedere debent.

§2. Infirma valetudo non est causa dimissionis, nisi certo constet eam, ante incorporationem temporaneam, fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

31. Dimissio, si opus sit, fiat maxima caritate: antea tamen suadendus est is cuius interest ut sponte discedat.

32. Dimissio a Praelato vel, in sua circumscriptione, a Vicario, semper cum voto deliberativo proprii Consilii, est decernenda, causis ei cuius interest manifestatis dataque eidem plena respondendi licentia, et post binas monitiones incassum factas, salvo semper iure fidelium ad Praelatum vel ad Sanctam Sedem recurrenti. Si recursus interpositus fuerit intra decem dies, effectus iuridicus dimissionis suspenditur donec responsio a Praelato vel, in casu, a Sancta Sede prodierit.

33. Exitus legitimus ab Opere Dei secum fert cessationem vinculi, de quo in n. 27, necnon officiorum atque iurium, quae ex ipso profluunt.

34. Qui qualibet ratione Praelaturae valedicat vel ab ea dimittatur, nihil ab ea exigere potest ob servitia eidem praestita, vel ob id quod, sive industria sive exercitio propriae professionis, sive quocumque alio titulo vel modo, eidem rependerit.

35. Clericus Praelaturae incardinatus, ad normam n. 36, nequit ipsam deserere donec Episcopum invenerit, qui eum in propria dioecesi recipiat. Quod si non invento Episcopo exierit, nequit interim suos Ordines exercere, donec Sancta Sedes aliter providerit.

TITULUS II

DE PRAELATURAE PRESBYTERIO DEQUE

SOCIETATE SACERDOTALI SANCTAE CRUCIS

CAPUT 1

DE COMPOSITIONE PRESBYTERI ET

SOCIETATIS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS

36. § 1. Praelaturae presbyterium ab illis clericis constituitur, qui, ad sacros Ordines a Praelato promoti ad normam nn. 44-51, Praelaturae incardinantur eiusque servitio devoventur.

§ 2. Hi sacerdotes, ex ipso suae ordinationis facto, fiunt socii Numerarü vel, iuxta infra dicenda (n. 37 § 2), Coadjutores Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, quae est Associatio clericalis Praelaturae propria ac intrinseca, unde cum ea aliquid unum constituit et ab ea seiungi non potest.

§ 3. Praelatus Operis Dei est Praeses Generalis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis.

37. § 1. Ut quis sacros Ordines recipere valeat in servitium Praelaturae, requiritur ut sit eidem definitive incorporatus qua Numerarius vel Aggregatus, atque ut periodum formationis compleverit, quam omnes laici Numerarü, necnon Aggregati illi qui. ad sacerdotium destinantur perficere tenentur, ita ut nemini immediate in Praelatura qua sacerdos Numerarius vel respective Aggregatus Operis Dei incardinarj liceat.

§2. Quo aptius a socüs Aggregatis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, de quibus in nn. 58 et sequentibus, jure distinguantur, Aggregati laici Operis Dei, qui sacerdotium in servitium Praelaturae suscipiunt, in Societate ipsa Coadjutores seu simpliciter

sacerdotes Aggregati Operis Dei vocantur.

38. Hi sacerdotes operam suam prae primis navabunt formationi spirituali et ecclesiasticae atque peculiarī curae animarum ceterorum fidelium utriusque Sectionis Operis Dei.

39. Sacerdotes Operis Dei cum alijs quoque fidelibus ministeria Ordinis sacerdotalis propria exercebunt, semper quidem habitis licentiis ministerialibus ad normam iuris.

40. Si, ratione officii ecclesiastici ve; personalis competentiae, hi sacerdotes ad Consilium presbyterale aliaque organa dioecesana invitantur, pro posse participare debent, praehabita tamen licentia Praelati Operis Dei vel eius Vicarii.

41. In cunctis dioecesibus in quibus suum ministerium exercent, hi sacerdotes apostolicae caritatis

nexibus coniunguntur cum ceteris
sacerdotibus presbyterii
uniuscuiusque dioecesis.

42. Praeter clericos de quibus in nn.
36 et 37, ipsi Societati Sacerdotali
Sanctae Crucis adscribi etiam valent,
ad normam n. 58, tam socii Aggregati
quam socii Supernumerarii, quin
tamen inter Praelaturae clericos
adnumerentur, nam unusquisque
pertinere perget ad suum
presbyterium dioecesanum, sub
iurisdictione unius respectivi
Episcopi.

43. Societati Sacerdotali Sanctae
Crucis adnumerari etiam possunt, ut
associati Cooperatores, alii clerici
alicui dioecesi incardinati, qui
Societati adiumentum praestant
oratione, eleemosynis et, si fieri
possit, etiam proprio cuiusque
ministerio sacerdotali.

CAPUT II

DE PROMOTIONE AD SACROS ORDINES ET DE PRESBYTERORUM MISSIONE CANONICA

44. Illi tantum Numerarü et
Aggregati Operis Dei ad sacros
Ordines promoveantur, quos
Praelatus vocatione ad sacerdotium
ministeriale praeditos noverit et
Operi Dei eiusque ministerüs
necessarios vel congruentes
iudicaverit. Qui autem Ordines
appetere exoptant, desiderium suum
Praelato exponere possunt, sed eius
decisioni acquiescere debent.

45. Ut quis Numerarius vel
Aggregatus ad Ordines
promoveri valeat, praeter carentiam
irregularitatum aliorumque
impedimentorum, de quibus in iure
universali, requiritur —servato
quoque praescripto n. 37— ut sit
speciali aptitudine ornatus ad
munera sacerdotalia prout in
Praelatura exercenda sunt, et sit

saltem viginti quinque annos natus
antequam presbyteratum recipiat.

46. Ad formationem quod attinet
candidatorum ad sacerdotium,
accurate servantur normae iuris
universalis et proprii Praelaturae.

47. Adscriptio inter candidatos per
liturgicum admissionis ritum,
ministeriorum collatio necnon
promotio ad sacros Ordines Praelato
reservantur, post praeviam
uniuscuiusque candidati
declarationem propria manu
exaratam et subscriptam, qua
testificetur se sponte ac libere sacros
Ordines suscepturum atque se
ministerio ecclesiastico perpetuo
mancipaturum esse, insimul petens
ut ad Ordinem recipiendum
admittatur.

48. Litteras dimissorias pro
ordinatione dat Praelatus Operis Dei,
qui potest promovendos ab
interstitiis necnon a defectu aetatis

his in Statutis requisitae dispensare, non tamen ultra annum.

49. Qui ad sacros Ordines vocantur, non modo requisita a canonibus praescripta habere debent, praesertim specialem in disciplinis ecclesiasticis cognitionem, verum etiam emineant pietate, vitae integritate, animarum zelo, erga SS. Eucharistiam fervido amore, ac desiderio imitandi quod quotidie tractare debent.

50. § 1. Cum sacros Ordines recipiunt, clerici ad nutum Praelati manent quoad primam et ulteriores destinationes ad unam vel aliam Operis Dei circumscriptionem.

§ 2. Missio canonica sacerdotibus confertur a Praelato, per se vel per respectivos Vicarios circumscriptionum, semper quidem iuxta normas a Praelato statutas, ipsis concedendo opportunas licentias ministeriales, Sacrum

nempe litandi, Verbum Dei
praedicandi atque confessiones
excipiendi.

§ 3. Haec facultas audiendi
confessiones, quae ab Ordinario
Praelaturae presbyteris quibuslibet
conferri potest, extenditur ad omnes
fideles Praelaturae atque Societatis
Sacerdotalis Sanctae Crucis socios
secundum tenorem ipsius
concessionis, necnon ad illos omnes
qui in Centris Operis Dei diu
noctunque degunt.

51. § 1. Sacerdotes presbyterii
Praelaturae munia et officia
ecclesiastica quaelibet, etsi cum
propria condicione et munere
pastorali in Praelatura compatibilia,
absque Praelati Operis Dei expressa
venia admittere non valent.

§ 2. Non tamen ipsis prohibetur
exercere actuositatem
professionalem sacerdotali
characteri, ad normam iuris

Sanctaeque Sedis praescriptorum
atque instructionum, non oppositam.

52. Sacerdotum Praelaturae ius est et officium, cum periculum mortis immineat, infirmis Numerarais Sacramenta ministrare, quod etiam facere possunt Aggregatis necnon omnibus in Centris Operis Dei versantibus. Agonia autem superveniente, commendatio animae fiat, adstantibus, quoad fieri possit, omnibus fidelibus Centro adscriptis, et orantibus ut Deus infirmum soletur, ei festinus occurrat eumque in Paradisum perducatur.

53. fusta funebria tam pro Numerarais quam pro Aggregatis et Supernumerariis ex regula in paroecia, ad normam iuris, persolvantur. Celebrara autem possunt per exceptionem in sede alicuius Centri, saltem quando ipsum habeat ecclesiam adnexam, vel agatur de Centro maiore.

54. Post receptam sacram
Ordinationem, sacerdotes periodice
frequentabunt cursus theoreticos et
practicos de re pastoralis, collationes,
conferentias aliaque id genus, atque
statuta examina post presbyteratum
et pro licentiarum ministerialium
prorogatione subibunt, iuxta normas
a Praelato determinatas.

55. Praelato officium est providendi,
mediantibus opportunis normis,
honestae sustentationi clericorum
qui sacros Ordines receperint in
servitium Praelaturae, necnon
congruae eorum assistentiae in
casibus infirmiae valetudinis,
invaliditatis et senectutis.

56. Praelatus eiusque Vicarii fovere
enitantur in omnibus Praelaturae
sacerdotibus fervidum spiritum
communione cum ceteris
sacerdotibus Ecclesiarum localium,
in quibus ipsi suum exercent
ministerium.

CAPUT III

DE SOCAS AGGREGATIS ET SUPERNUMERARIIS SOCIETATIS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS

57. Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis, de qua in n. 36, constituitur in Associationem, quo melius suum sanctificationis sacerdotalis finem etiam inter clericos ad Praelaturam non pertinentes prosequatur iuxta spiritum et praxim asceticam Operis Dei.

58. § 1. Socii Aggregati ac Supernumerarii Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, qui quidem membra non efficiuntur cleri Praelaturae, sed ad suum cuiusque presbyterium pertinent, sunt sacerdotes vel saltem diaconi alicui dioecesi incardinati, qui Domino in Societate Sacerdotali Sanctae Crucis iuxta spiritum Operis Dei, peculiariter superaddita vocatione, sese dicare volunt, ad sanctitatem nempe

in exercitio suꝝ ministerii pro viribus
prosequendam, quin tamen eorum
dioecesana condicio plenaque
proprio uniuscuiusque Ordinario
subiectio quoquo modo ex hac
dedicatione afficiantur, sed contra,
iuxta infra dicenda, diversis
respectibus confirmentur.

§2. In Societate Sacerdotali Sanctae
Crucis non sunt Superiores interni
pro Aggregatis et Supernumerariis,
quapropter, cum ipsi oboedire
tantum debeant proprio loci
Ordinario, ad normam iuris, nulla
omnino exsurgit quaestio de duplici
oboedientia: nulla enim viget
oboedientia interna, sed solummodo
normalis illa disciplina in qualibet
Societate existens, quae provenit ex
obligatione colendi ac servandi
proprias ordinationes; quae
ordinationes, hoc in casu, ad vitam
spiritualem exclusive referuntur.

59. § 1. Qui admitti volunt, eminere debent in amore dioeceseos, oboedientia ac veneratione erga Episcopum, pietate, recta in scientiis sacris institutione, zelo animarum, spiritu sacrificii, studio vocationes promovendi, et desiderio adimplendi cum maxima perfectione officia ministerialia.

§2. Pro incorporatione in Societatem Sacerdotalem Sanctae Crucis nullus viget limes maximus aetatis, et admitti quoque possunt clerici chronica aliqua infirmitate laborantes.

60. § 1. Alumni Seminariorum nondum diaconi non possunt in Societatem recipi. Si vocationem persentiunt antequam ordinentur, ut Adspirantes haberi et admitti valent.

§2. Jure etiam a Societate arcentur qui alicuius Instituti religiosi ve; Societatis vitae communis fuerit sodalis, novitius, postulans vel

alumnus scholae apostolicae; et qui in aliquo Instituto saeculari qua probandus degerit vel admissionem expostulaverit.

61. Ut quis qua Aggregatus admittatur, divina vocatio requiritur secum ferens totalem et habituales disponibilitatem ad sanctitatem quaerendam iuxta spiritum Operis Dei, qui exigit:

1° imprimis studium perfecte adimplendi munus pastorale a proprio Episcopo concreditum, sciente unoquoque se soli Ordinario loci rationem reddere debere de huiusmodi muneris adimptione;

2° propositum dedicandi totum tempus totumque laboreen ad apostolatum, spiritualiter praesertim adiuuando confratres sacerdotes dioecesanos.

62. Ut quis recipi possit qua Supernumerarius, eadem vocatio

divina requiritur ac pro Aggregatis, necnon plena disponibilitas ad sanctitatem quaerendam iuxta spiritum Operis Dei, licet Supernumerarii, propter suas condiciones personales, familiares aliasque id genus, habitualiter in activitatem apostolicam incumbere non valent totaliter et immediate.

63. Admissio petitur litteris ad Praesidem Generalem inscriptis, in quibus candidatus manifestet suum desiderium sese incorporandi Societati Sacerdotali Sanctae Crucis qua socius Aggregatus vel Supernumerarius.

64. Pro admissione ac incorporatione clericorum inter Aggregatos ve; Supernumerarios Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, eadem normae et agendi ratio servari debent, quae pro admissione et incorporatione Aggregatorum et Supernumerariorum Operis Dei

praescribuntur, etiam relate ad tempus peculiaris formationis spiritualis et ad media quae candidatis praebentur, ut eorum spiritualis vita alatur.

65. Qui admissionem qua Supernumerarii expostulaverint, possunt postea inter Aggregatos recipi, modo tamen requisitis polleant qualitatibus.

66. Si quis ante incorporationem ut Aggregatus videtur necessaria disponibilitate carere, potest retineri qua Supernumerarius, modo requisitas condiciones habeat.

67. Quoad egressum et dimissionem, eadem vigent ac tenenda sunt, congrua congruis referendo, quae pro egressu et dimissione Aggregatorum ac Supernumerariorum Operis Dei statuuntur.

68. Praeter Fnem Operis Dei, quem hi socii in propria condicione suum faciunt, hunc ut peculiarem propriumque vindicant, scilicet: sanctitatem sacerdotalem atque sensum plenae deditiois ac subiectionis Hierarchiae ecclesiasticae in clero dioecesano impense promovere; et inter sacerdotes cleri dioecesani vitam communem fovere, prout Ordinario loci expedire videatur.

69. Spiritus quo Aggregati et Supernumerarii Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis informara in omnibus debent, his praeprimis continetur:

1° nihil sine Episcopo agere, quod quidem complecti debet omnem ipsorum vitam sacerdotalem atque animarum ministeria;

2° propriam condicionem dioecesanam non derelinquere, sed

contra, ipsam maiore semper Dei amore exercere;

3° maxima quidem semper et ubique naturalitate inter confratres sacerdotes se gerant, et nullo modo secretos sese exhibeant, cum nihil in ipsis inveniri debeat quod ita celara oporteat;

4° a confratribus sacerdotibus nullo modo distingui velint, sed totis viribus unir; cum ipsis nitantur;

5° cum ceteris membris presbyterii cuiusque proprii ita fraterna caritate pleni sint, ut quamlibet prorsus divisionum umbram vitent, specialibus apostolicae caritatis et fraternitatis nexibus coniungantur, et inter omnes omnino sacerdotes maximam unionem studeant.

70. Aggregati et Supernumerarii Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, praeter clericorum obligationes in iure universali

statutas aliasque quas pro omnibus suis sacerdotibus singuli Episcopi praescribere possint, pietatis officia colunt praxis asceticae Operis Dei propria; cursus vero recessus spiritualis ipsi peragere debent cum ceteris suae dioecesis sacerdotibus, loco et modo ab Ordinario proprio determinatis.

71. Sacerdotes Aggregati et Supernumerarii ad christianas virtutes tam theologales quam cardinales specialiter colendas dicantur, unusquisque in proprio labore et munere pastoralis, a suo cuiusque Episcopo sibi concredito.

72. Spiritus Operis Dei fovet, in Aggregatis et Supernumerariis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, necessitatem ardentem obsecundandi atque ad effectum deducendi directionem spiritualem collectivam, quam Episcopus dioecesanus suis sacerdotibus

impertit litteris pastoralibus,
allocutionibus, provisionibus
disciplinaribus aliisque mediis. Hunc
sane in finem, et sine ulla umquam
interferentia cum indicationibus
dioecesanis vel cum temporibus ad
eas adimplendas praescriptis,
Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis
Aggregatis et Supernumerariis
praebet peculiaria media
formationis, quorum praecipua sunt
sequentia:

1° periodicae collationes, in quibus
directio spiritualis personalis
recipitur, et studiorum Circuli,
quibus praesunt Zelatores ad
spiritum sociorum fovendum: quae
quidem omnia ita ordinari debent,
quoad durationis tempus, absentiam
e propria dioecesi diebus festis,
aliaque similia, ut sacerdotes omnes
eisdem assistentes praeprimis
muneribus in dioecesi sibi commissis
commode satisfacere valeant;

2° alia omnia media, industriae,
instrumenta ascetica piaaeque praxes
Operis Dei;

3° expolitio atque opportuna, prout
in Domino videatur, intensio et
ampliatio culturae et formationis
scientificae, quatenus ipsae sunt
medium ad ministerium
exercendum.

73. § 1. Absolute accurateque vitanda
est in dioecesi, quoad Aggregatos et
Supernumerarios, vel umbra
specialis hierarchiae Societatis
propriae; quod enim unice quaeritur,
hoc esse debet: perfectio vitae
sacerdotalis ex diligenti fidelitate
vitae interiori, ex tenaci constantique
studio formationis, atque ex mente,
criterio et ardore apostolicis, quin hi
clerici ullo modo subsint potestati
regiminis Praelati Operis Dei eiusque
Vicariorum.

§2. Ad Aggregatos et
Supernumerarios Regionis

adiuvandos, Vicarius Regionalis utitur ministerio Sacerdotis Rerum Spiritualium Praefecti, quocum collaborant in unaquaque dioecesi Admonitor et Director spiritualis cum propriis ipsorum substitutis.

74. Pro illis omnibus cum Episcopo locive Ordinario tractandis vel expediendis, quae ad Aggregatos et Supernumerarios in propria uniuscuiusque dioecesi spectant, Societas ex regula Admonitore eiusve substituto utitur, nisi Vicarius Regionalis, vel ipse directo, vel per specialem suum delegatum aliqua negotia agere seu expedire maluerit.

75. § 1. Vicarius Regionalis sacerdotes Admonitores, Directores spirituales eorumque substitutos ad quinquennium designat.

§2. Haec munera quamlibet potestatis regiminis formam seu speciem vitare prorsus debent.

§3. Designationes factas quantocius
opportune Episcopo dioecesano
locive Ordinario communicare
Vicarius Regionalis satagat.

76. Sacerdotes Aggregati et
Supernumerarii Societatis
Sacerdotalis Sanctae Crucis in
Coetibus componuntur ac
ordinantur, qui specialibus Centris
personalibus adscribuntur. Unum
idemque Centrum diversos
huiusmodi Coetus adscriptos, etiam
per varias dioeceses, prout magis
expedire videatur, distributos,
habere valet.

77. Societas nullam peculiarem
oeconomicam administrationem
habere debet. Ipsa ordinaria
fidelium Operis Dei administratione,
si qua egeat, utitur.

78. In illis quae hic expresse
praescripta non sunt, congrua
congruis referendo et dummodo
condicioni sacerdotali convenient, ea

omnia sacerdotibus Aggregatis ac Supernumerariis applicantur, quae pro Aggregatis et Supernumerariis Operis Dei ordinata sunt, eorumque bona spiritualia et facultates ipsi participant.

TITULUS III

DE VITA, INSTITUTIONE ET

APOSTOLATU FIDELIUM PRAELATURAE

CAPUT 1

DE VITA SPIRITUALI

79. § 1. Spiritus et praxis ascetica propria Praelaturae específicos characteres habent, plene determinatos, ad finem proprium prosequendum. Unde spiritus Operis Dei aspectus duplex, asceticus et apostolicus, ita sibi adaequate respondet, ac cum caractere saeculari Operis Dei intrinsece et

harmonice fusus ac compenetratus est, ut solidam ac simplicem vitae — asceticae, apostolicae, socialis et professionalis— unitatem necessario secum ferre ac inducere semper debeat.

§2. Ut exigentiae asceticae et apostolicae sacerdotū communis et, pro clericis, sacerdotū ministerialis iuxta spiritum Operis Dei in praxim serio et continuo deducantur, utque ita Praelaturae fideles efficax fermentum sanctitatis et apostolatus inter ceteros clericos et laicos saeculares esse possint, intensa vita orationis et sacrificiū praeprimis ab omnibus requiritur, iuxta pietatis officia hoc in Codice statuta ceteraque ad traditionem Operis Dei pertinentia.

80. § 1. Fundamentum solidum, quo omnia in Opere Dei constant, radixque fecunda singula vivificans, est sensus humilis ac sincerus

filiationis divinae in Christo Iesu, ex quo dulciter creditur caritati paternae quam habet Deus in nobis; et Christus Dominus, Deus homo, ut frater primogenitus ineffabili sua bonitate sentitur a Praelaturae fidelibus, qui Spiritus Sancti gratia Iesum imitari conantur, in memoriam praesertim revocantes mirum exemplum et fecunditatem operosae eius vitae in Nazareth.

§2. Hac ratione, in vita fidelium Praelaturae, qui sicut ceteri clerici saeculares et laici, sibi aequales, in omnibus se gerunt, nascitur necessitas et veluti instinctus supernaturalis omnia purificandi, elevandi ad ordinem gratiae, sanctificandi et convertendi in occasionem personalis unionis cum Deo, cuius Voluntas adimpletur, et in instrumentum apostolatus.

81. § 1. Vitae spiritualis fidelium Praelaturae radix ac centrum

Sacrosanctum Missae est Sacrificium,
quo Passio et Mors Christi lesu
incruente renovatur et memoria
recolitur infiniti eius amoris salvifici
erga universos homines.

§2. Omnes proinde sacerdotes
Sacrosanctum Missae Sacrificium
quotidie celebrent eique cuncti laici
devotissime assistant, Corporis
Christi Dapem sacramentaliter vel
spiritualiter saltem participantes.
Praeterea Christum in SS.
Sacramento alio diei tempore
visitent.

82. Exemplum imitantes
Apostolorum, qui erant
perseverantes unanimiter in
oratione, atque communitatum
primaevorum christianorum,
Praelaturae fideles, dum ordinariis
vitae ac laboris quotidiani
vicissitudinibus se dedicant,
continuara suae animae
contemplativae unionem et

conversationem cum Deo curare debent. Ad hunc finem necessario custodiendum ac fovendum:

1° singulis diebus, mane, post oblationem suorum operum Deo factam, orationi mentali spatio semihorae vacabunt; vespere autem aliam semihoram orationi dedicabunt. Praeterea lectioni Novi Testamenti et alterius libri spiritualis per aliquot temporis spatium vacent, et Preces communes Operis Dei recitent;

2° singulis mensibus spirituali recessui unam dedicent diem;

3° singulis annis longiori per aliquot dies recessui spirituali vacent;

4° semper et ubique recolant Dei praesentiam; meminerint filiationis divinae; communionem spirituales iterent; item gratiarum actiones, actus expiationis, orationes jaculatorias; foveant impensius

mortificationem, studium, laborem, ordinem, gaudium.

83. § 1. Ut insidiae vincantur triplicis concupiscentiae, superbiae vitae speciatim, quae ex doctrina, ex condicione sociali et ex professionalibus laboribus ali posset, ascetismi christiani exigentiae a Praelaturae fidelibus firmiter et impense colendae sunt. Hic ascetismus nititur fideli ac perpetuo sensu humilitatis externae et intrinsecae, non tantum individualis sed etiam collectivae; candore connaturalis simplicitatis; familiar; et nobili agendi ratione; expressione iugis serenae laetitiae, labore, sui abnegatione, sobrietate, actibus sacrificii atque statutis exercitiis mortificationis etiam corporalis singulis diebus et hebdomadis peragendis, iuxta uniuscuiusque aetatem et condicionem. Haec omnia curantur ut media non solum purificationis

personalis, sed praeterea veri ac solidi progressus spiritualis, iuxta illud bene probatum et comprobatum verbum: "tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris". Curantur etiam ut necessaria praeparatio ad omnem apostolatatum in societate peragendum eiusque perfectum exercitium: "adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia" (Col. 1, 24).

§2. Hic ascetismus et spiritus paenitentiae alias quoque exigentias in vita fidelium Praelaturae secum fert, praesertim quotidianam conscientiae discussionem, directionem spiritualem et praxim hebdomadariam confessionis sacramentalis.

84. § 1. Ament Praelaturae fideles et diligentissime custodiant castitatem, quae homines Christo eiusque

castissimae Matri reddit gratissimos,
pro certo habentes operam
apostolatus castitate suffultam esse
debere.

§ 2. Ad praesidium huius thesauri,
qui vasis fertur fictilibus,
summopere conferunt fuga
occasionum, modestia, temperantia,
corporis castigatio, SS. Eucharistiae
frequens receptio, ad Virginem
Matrem adsiduus ac filialis recursus.

85. Tenero amore et devotione
Beatissimam Virginem Mariam,
Domini Iesu Christi Matrem et
nostram, Praelaturae fideles colant.
Quotidie quindecim mysteria
marialis Rosarii contemplantur,
quinque saltem mysteria vocaliter
recitantes, vel, iis in locis in quibus
pia haec praxis usualis non sit, aliam
aequipollentem marialem
precationem pro hac recitatione
substituentes. Ipsam Deiparam, uti
mos est, salutatione Angelus Domini

vel antiphona Regina coeli filiali devotione honorare ne omittant; et die sabbato mortificationem aliquam faciant, recitentque antiphonam Salve Regina vel Regina coeli.

86. § 1. Dominus hominem creavit "ut operaretur" (Genes. II, 15), ideoque haec laborandi lex pertinet ad generalem humanam condicionem. Attamen peculiaris character ac finis Praelaturae eius fideles ducit non solum ad colendum, verum etiam ad profunde amandum ordinarium laborem: in ipso enim vident tum insignissimum valorem humanum, necessarium quidem ad tuendam humanae personae dignitatem et societatis progressionem, tum praecipue miram occasionem atque medium unionis personalis cum Christo, imitantes eius operosam vitam absconditam generosi servitii aliorum hominum et ita cooperantes

operi amore pleno Creationis et Redemptionis mundi.

§2. Peculiaris proinde character spiritus Operis Dei in eo consistit, quod unusquisque suum laborem professionalem sanctificare debet; in sui laboris professionalis perfecta adimpletione, sanctificari; et per suum laborem professionalem, alios sanctificare. Unde multae oriuntur concretae exigentiae in vita ascetica et apostolica eorum qui ad opera peculiaris Praelaturae dicantur.

87. § 1. Praelatura Operis Dei tota devota est servitio Ecclesiae, pro qua fideles Praelaturae —plena, perpetua ac definitiva Christi Domini servitio deditione sese mancipando— relinquere parati semper erunt honorem, bona, adhuc autem et animam suam; numquam Ecclesiam sibi inservire praesumant. Sit ergo firmus ac exemplaris pius amor erga Sanctam Matrem Ecclesiam

omniaque ad illam quoquo modo pertinentia; sint sincerae dilectio, veneratio, docilitas et adhaesio Romano Pontifici omnibusque Episcopis communionem cum Apostolica Sede habentibus, quos Spiritus Sanctus posuit Ecclesiam Dei regere.

§ 2. Praeter orationes quae in Sacrosancto Eucharistico Sacrificio et in Operis Dei Precibus quotidianis pro Summo Pontifice et pro Ordinario uniuscuiusque Ecclesiae localis effunduntur, omnes fideles quotidie intentiones eorundem Domino specialiter commendare ne omittant.

88. § 1. Praelatura fovet in suis fidelibus necessitatem speciali sollertia colendi oboedientiam illam illudque religiosum obsequium, quae christiani universi exhibere debent erga Romanum Pontificem et

Episcopos communionem cum
Sancta Sede habentes.

§ 2. Omnes fideles tenentur
praeterea humiliter Praelato
ceterisque Praelaturae auctoritatibus
in omnibus oboedire, quae ad finem
peculiarem Operis Dei pertinent.
Haec oboedientia sit penitus
voluntaria, ob motivum divini
amoris et ut imitentur Christum
Dominum, qui cum esset omnium
Dominus, semetipsum exinanivit
formam servi accipiens, quique
factus est "oboediens usque ad
mortem, mortem autem
crucis" (Philip. II, 8).

§ 3. Ad professionalem autem
actionem quod attinet, itemque ad
doctrinas sociales, politicas, etc.,
unusquisque Praelaturae fidelis,
intra limites utique catholicae
doctrinae fidei et morum, eadem
plena gaudet libertate qua ceteri
gaudent cives catholici. Auctoritates

vero Praelaturae a quibuslibet vel consiliis dandis his in materiis omnino abstinere debent. Proinde illa plena libertas tantum minui poterit a normis quas forsitan dederint pro omnibus catholicis, in aliqua dioecesi aut ditione, Episcopus vel Episcoporum Conferentia; quapropter Praelatura labores profesionales, sociales, politicos, oeconomicos, etc., nullius omnino sui fideles suos facit.

89. § 1. Omnes Praelaturae fideles diligant atque foveant humilitatem non modo privatam, sed etiam collectivam; ideo numquam Operi Dei gloriam quaerant, quinimmo hoc unum animo alte defixum habeant: gloriam Operis Dei summam esse sine humana gloria vivere.

§2. Quo efficacius suum finem assequatur Opus Dei, uti tale, humiliter vivere vult: quare sese abstinere ab actibus collectivis, neque

habet nomen vel denominationem communem quibus Praelaturae fideles appellentur; nec ipsi aliquibus publicis manifestationibus cultus, uti processionibus, intererunt collective, quin ex hoc occultent se ad Praelaturam pertinere, quia spiritus Operis Dei, dum fideles ducit ad humilitatem collectivam enixe quaerendam, quo impensiores atque uberiores efficaciam apostolicam attingant, omnino simul vitat secretum vel clandestinitatem. Quapropter universis in circumscriptionibus omnibus nota sunt nomina Vicariorum Praelati necnon eorum qui Consilia ipsorum efformant; et Episcopis petentibus nomina communicantur non solum sacerdotum Praelaturae, qui in respectivis dioecesibus suum ministerium exercent, sed Directorum etiam Centrorum quae in dioecesi erecta habentur.

§3. Huius humilitatis collectivae causa, Opus Dei nequit edere folia et cuiusque generis publicationes nomine Operis.

90. In sua vita professionali, familiarī et sociali, fideles Praelaturae virtutes naturales, quae in humano consortio magni aestimantur et ad apostolatum peragendum iuvant, diligenter et fortiter colant: fraternitatem, optimismum, audaciam, in rebus bonis ac rectis sanctam intransigentiam, laetitiam, simplicitatem, nobilitatem ac sinceritatem, fidelitatem; sed eas semper et in omnibus supernaturales fideliter reddere curent.

91. Praelaturae fideles, memores normarum caritatis et prudentiae, exercere tenentur correctionem fraternam, ut, in casu, sese mutuo amoveant a moribus, qui spiritui Operis Dei repugnent.

92. Omnes maxima cura res etiam parvas cum spiritu supernaturali perficiant, eo quod vocationis ratio in diurno labore sanctificando consistit. Non semper res magnae occurrunt; parvae utique, in quibus Iesu Christi amor saepius demonstrari potest. Haec est una ex manifestationibus spiritus paenitentiae Operis Dei proprii, quae potius in parvis et ordinariis rebus est quaerenda et in labore quotidiano, constanti, ordinato.

93. In hoc suo ordinario labore adimplendo, maximo cum amore Dei et proximi, fidem vivam et operantem necnon filialem spem omnibus in adiunctis Praelaturae fideles colant; quae virtutes omnia superare faciunt obstacula in Ecclesiae animarumque servitio forte obvenientia: "omnia possum in eo qui me confortat" (Philip. IV, 13). Nihil ergo aut neminem formident:

"Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?" (Ps. XXVI, 1).

94. § 1. Praelaturae fideles plena vivant personali cordis a bonis temporalibus libertate, unusquisque iuxta suum statum et condicionem, animis ab omnibus, quibus utuntur, alienatis; sobrie semper in vita sua personali et sociali iuxta spiritum et praxim Operis Dei se gerentes; omnem sollicitudinem de rebus huius saeculi in Deum proicientes; atque in hoc mundo tamquam peregrini, qui civitatem futuram inquirunt, commorantes.

§2. Suo ordinario labore professionali, peracto cum mente et animo patris familiae numerosae ac pauperis, omnibus Praelaturae fidelibus officium est providendi propriis necessitatibus oeconomicis personalibus et familiaribus atque, in quantum ab ipsis fieri possit, iuvandi sustentationem apostolatus

Praelaturae, remedium afferentes indigentiae spirituali ac materiali plurimorum hominum. Gaudeant simul quando effectus experiantur carentiae mediorum, scientes numquam in necessariis providentiam Domini defecturam, qui nos monuit ut primum Regnum Dei et iustitiam eius quaeramus, si volumus ut cetera omnia nobis adiiciantur.

§3. Praelatura tamen curat ne suis fidelibus necessarium adiutorium spirituale desit, atque Praelatus, per se vel per suos Vicarios, paterno affectu eos fovet, ab unoquoque ea ratione exigendo, prout varia cuiusque adiuncta suadeant. Propterea, quod attinet ad Praelaturae fideles atque personas, quae diu noctuque in Centris Operis Dei degunt, potest Praelaturae Ordinarius, iusta de causa, dispensationem concedere ab obligatione servandi diem festum vel

diem paenitentiae, aut
commutationem eiusdem in alia pia
opera.

95. Praeter festa Domini, Beatae
Mariae Virginis et Sancti Ioseph, a
Praelaturae fidelibus speciali
devotione celebrantur festa
Exaltationis Sanctae Crucis; SS.
Archangelorum Michairlis, Gabrielis
et Raphai;lis atque Apostolorum
Petri, Pauli et Ioannis; aliorum
Apostolorum et Evangelistarum; dies
secunda octobris seu Angelorum
Custodum festivitas, et decima
quarta februarii. Hae postremae
dies, pro Opere Dei, dies actionis
gratiarum sunt.

CAPUT II

DE INSTITUTIONE DOCTRINALI RELIGIOSA

96. Sub aspectu doctrinali religioso,
institutio quae fidelibus Praelaturae
impertitur ipsis profundam

cognitionem Fidei catholicae et Magisterii ecclesiastici, alimentum quidem necessarium suae vitae spiritualis et apostolicae, praestare contendit, ut in quocumque societatis ambitu personae adsint intellectualiter praeparatae, quae, cum simplicitate, in ordinarias adiunctis quotidianae vitae atque laboris, exemplo ac verbis efficacem apostolatum evangelizationis et catecheseos exercent.

97. In qualibet regionali circumscriptione a Vicario Regionali, de consensu sui Consilii et Praelato confirmante, erigantur, prout opus fuerit, Studiorum Centra pro omnibus cuiusque Regionis fidelibus, ut institutio doctrinalis religiosa impensa et assidua ad vitam spiritualem sustinendam et ad finem apostolicum Praelaturae proprium prosequendum cunctis congrue praebeatur.

98. Potest etiam Praelatus, audito suo Consilio, Interregionalia Centra Studiorum erigere, a seipso dependentia, ut in his instituantur Praelaturae fideles ab ipso Praelato selecti sive directe, sive respectivis circumscriptionum Vicariis id proponentibus. Haec Centra specialiter destinari possunt ad fideles, sacerdotes vel laicos, praeparandos, qui formationis officiis in diversis Regionibus incumbant.

99. § 1. Institutio doctrinalis religiosa, praesertim quod attinet ad disciplinas philosophicas ac theologicas, impertietur a professoribus Centrorum Studiorum Regionalium vel Interregionalium quae hunc in finem eriguntur, quaeque diversa habentur pro viris et pro mulieribus.

§ 2. Programmata cyclica ita componentur, ut institutio continue

impertiri ac perfici valeat, quin unusquisque fidelis, in adimpletione officiorum professionalium et familiarium, detrimentum patiatur.

100. § 1. Praelaturae fideles tempus institutionis perficere possunt extra Centra Studiorum iuridice erecta, si, attentis circumstantiis, audito proprio Consilio, Vicarius Regionalis hoc disposuerit.

§ 2. Tempore hoc perdurante, formationem accipiunt a professore vel professoribus a Vicario Regionali delectis.

§ 3. Iidem autem periculum debent postea subire in aliquo Centro iuridice erecto.

101. § 1. Omnes Numeraria, necnon illi Aggregati quorum personalia adiuncta id suadeant, integra studia biennii philosophici et quadriennii theologici peragant.

§2. Singuli anni biennii atque quadriennii dividuntur in duos cursus semestrales, quorum duratio, numerus nempe horarum quae lectionibus dedicantur, aequivalere debet illi cursuum semestralium apud Pontificias Romanas studiorum Universitates, quorumque programmata eadem amplitudine qua in iisdem studiorum Universitatibus explicentur.

§ 3. Duodecim curriculis semestralibus persolvendis, de quibus in §§ praecedentibus, unusquisque alumnus tot annis incumbat, quot necessarii sint, iuxta adiuncta sua personalia atque sui laboris professionalis.

§ 4. Pro mulieribus Numerariis Auxiliaribus, Centra Studiorum cursus disponunt institutionis philosophicae ac theologicae ad earum personalia adiuncta accommodatos. Huiusmodi cursus

non necessario amplecti debent
integrum curriculum philosophicum-
theologicum.

§ 5. Pro ceteris vero Praelaturae
fidelibus institutio doctrinalis
complectitur etiam congruam
formationem doctrinalem
religiosam, quae eos idoneos reddat
ad suum apostolatum exercendum.

102. § 1. Pro Numerarais qui ad
sacerdotium destinantur sunt
specialia Centra Studiorum a
Praelato erecta, ubi tamen semper
alii Numeraria qui sacerdotes non
erunt commorari debent, propriam
ipsorum institutionem accipientes et
vitam cum primis ducentes, quia una
eademque pro omnibus spiritualis
formatio requiritur.

§2. Attamen, post hoc satis longum
tirocinium in Centris Studiorum
peractum, durante uno tantum
sacrae theologiae studiorum anno,
candidati ad sacerdotium

commorantur in Centro speciali ad ipsos solummodo destinato.

§ 3. Quoad Aggregatos qui pro sacerdotio recipiendo instituuntur, eadem normae applicari possunt, congrua tamen congruis referendo.

103. Philosophiae rationalis ac theologiae studia, et alumnorum in his disciplinis institutionem, professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant, iuxta normas a Magisterio Conciliorum et Sanctae Sedis traditas vel tradendas.

104. Quoad illos omnes, qui in posterum ad sacerdotium destinantur, studia de quibus in n. 101, ad normam iuris et Sanctae Sedis instructionum peracta, publica habenda sunt.

105. Omnes sacerdotes Praelaturae praediti sint oportet laurea doctorali in aliqua disciplina ecclesiastica.

106. § 1. Cuncti qui Praelaturae incorporara desiderant, ex quo admissionem expostulant, formationem doctrinalem religiosam, quae praevia vocatur, recipiant necesse est antequam eisdem incorporatio concedatur.

§ 2. Post incorporationem vero, perficere tenentur studia de quibus in n. 97. Hunc in finem frequentabunt cursus pro coetibus homogeneis dispositos, et assistent coadunationibus, conferentiis aliisque id genus.

107. Expletis respectivis studiis institutionis doctrinalis religiosae, quam recipiunt post incorporationem in Praelaturam, omnes suam institutionem modo permanenti et per totam vitam continuabunt iuxta rationem

cyclicam repetitionis et adaequationis ad recens adquisitas cognitiones, quo profundius in dies suam formationem doctrinalem ipsi perficiant.

108. Pro Cooperatoribus catholicis, necnon pro aliis Cooperatoribus qui Ecclesiae Catholicae doctrinam cognoscere desiderent, cursus, coadunationes aliaque similia promoveantur de re dogmatica ac morali deque ascetica christiana, ita ut ipsi formationem doctrinalem sibi adquirant vel perficiant.

109. Opus Dei nullam habet propriam sententiam vel scholam corporativam in quaestionibus theologicis vel philosophicis quas Ecclesia liberae fidelium opinioni relinquit: Praelaturae fideles, intra limites statutos ab ecclesiastica Hierarchia, quae Depositum fidei custodit, eadem libertate gaudent ac ceteri fideles catholici.

CAPUT III

DE APOSTOLATU

110. Praelatura sollicite suis fidelibus tradit congruam formationem apostolicam ac necessariam assistentiam pastorem ad impensum laborem evangelizationis et catecheseos exsequendum, ita ut in vita omnium atque singulorum constanter ad effectum deducatur officium et ius christianorum exercendi apostolatum.

111. Haec semper Praelaturae christifideles in apostolatu meminerint:

1° zelus quo adurimur hoc unum quaerit, nempe ut omnes cum Petro ad Iesum per Mariam quasi manu ducamus;

2° pro multitudine constituti sumus. Nulla igitur est anima quam diligere et adiuvere non velimus, omnia

omnibus nos facientes (cfr. I Cor. IX, 22). Vivere nequimus praetermittentes omnium hominum curas atque necessitates, quia nostra sollicitudo omnes animas amplectitur: vitam agentes absconditam cum Christo in Deo (cfr. Col. III, 3), esse debemus tamquam fermentum in massa humanae societatis latens et ipsi se immiscens donec fermentata sit tota (cfr. Matth. XIII, 33).

112. Praelaturae fideles sibi proponant, semper et super omnia, ad effectum deducere suum finem personalem sanctificationis et apostolatus, fideliter adimplentes normas asceticas, formativas ac disciplinares Operis Dei, quibus adiuvantur in nisu perfecte exsequendi propria officia professionalia, familiaria et socialia, constans ita testimonium christiani sensus vitae humanae praebentes, et nuntium Christi diffundentes apud

omnes societatis ambitus, jis non exclusis ad quos ordinarius labor apostolicus sacerdotum ac religiosorum difficile pervenit.

113. Praelaturae fideles, persuasum habentes suum peculiarem apostolatum procedere ex propria vita interiore atque ex amore erga humanum laborem, quae fundi ac compenetrara debent in unitate vitae, speciatim enitantur ut suum laborem sanctificent ipsumque quam maxima possint perfectione humana exsequantur, secundum divinam voluntatem ordinent atque ad animarum salutem dirigant, in primis vero suorum in professione collegarum. Ideo eorum actuositas apostolica non habet modum se manifestandi uniformem vel exclusivum, quia radicatur in ipsa circumstantiarum varietate, quam humanus labor secum fert.

114. Praeter apostolatum testimonii atque exempli, per congruentem vitam personalem unionis cum Domino exhibiti, fideles Praelaturae eniti debent ut aperto etiam sermone de Deo loquantur, veritatem cum caritate diffundentes constanti apostolatu doctrinal et catechetico, accommodato ad peculiaria adiuncta personarum cum quibus laborant et convivunt.

115. Apostolatus fidelium Praelaturae ad cunctos homines dirigitur, sine distinctione stirpis, nationis vel condicionis socialis, ut christiani invitentur, edoceantur atque adiuventur ad respondendum vocationi universali ad sanctitatem in exercitio suae professionis et in officiorum proprii status adimpletione, utque illi etiam qui Christum nondum agnoscunt testimonium de Ipso exemplo et verbis recipiant, et ita disponantur ad fidei gratiam recipiendam.

116. Sua divina vocatione,
Praelaturae christifideles ad ordinem
supernaturalem evehere satagunt
sensus servitii erga homines atque
societatem, quo labor quilibet
professionalis exercendus est.
Continenter prae oculis habebunt
fecunditatem apostolatus apud
personas condicionis intellectualis,
quae, ob doctrinam qua pollent, vel
ob munera quae exercent, vel ob
dignitatem qua insigniuntur, magni
sunt ponderis pro servitio societati
civili praestando: ideo totis viribus
Praelaturae fideles adlaborabunt ut
etiam illae personae Christi Domini
doctrinae et praeceptis adhaereant
ipsaque in praxim deducant.

117. Praelaturae fideles qui ad
apostolatum efficaciorum
reddendum, exemplum christianum
in exercitio proprii uniuscuiusque
laboris professionalis, necnon in
proprio ambitu familiari, culturali et
sociali, dare conabuntur, suum

personalem apostolatum exercent praesertim inter pares, ope praecipue amicitiae et mutuae fiducia. Omnes nos amici sumus —"vos autem dixi amicos" (Ioann. XV, 15)—, immo eiusdem Patris fui ac proinde in Christo et Christi una simul fratres: peculiare igitur Praelaturae fidelium apostolatus medium est amicitia et assidua cum collaboratoribus consuetudo, quin tamen ad hoc speciales associationes actionis externae religiosae constituentur.

118. Peculiaris etiam nota, qua labor apostolicus fidelium Praelaturae insignitur, est amor libertatis personalis cunctorum hominum, cum accuratissimo obsequio erga libertatem conscientiarum et desiderio cum omnibus convivendi. Quo spiritu fideles ducuntur ad sinceram caritatem semper colendam erga eos qui Christum sequuntur, quia pro Ipso laborant;

necnon ad eos diligendos, recte quoque eorum mentes aestimantes, qui Christum nondum sectantur, exemplo ac doctrina eos ad Dominum trahere satagentes.

119. Praelatura a suis fidelius quaerit impensam et constantem actuositatem apostolicam personalem, in ipso labore et ambitu sociali uniuscuiusque propriis exercendam, liberam ac responsabilem, spontaneitate plene imbutam, quae fructus sit actionis gratiae quaeque sese accurate accommodet fidei et moribus christianis atque Ecclesiae Magisterio.

120. In hac continua actuositate apostolatus personalis, Praelaturae fideles adhibent etiam, pro cuiusque peritia, media illa atque incepta quae in societate civili communia sunt, nempe circulos studiorum, coadunationes, frequentes

conventus, sessiones, conferentias, cursus studiorum aliaque similia, modo quidem accommodato ad diversos ambitus civiles in quibus ipsi vitam agunt.

121. § 1. Praeter apostolatum personalem, quem Praelatura in suis fidelibus fovet cuique profecto locus praecipuus competit, Praelatura qua talis specificam assistentiam pastorem praestat laboribus et inceptis indolis civilis ac professionalis, non confessionalis, persequentibus fines educativos, assistentiales, etc.

§2. Praelaturae Ordinarius, necessitate ductus adimplendi suam specificam missionem utque peculiaris Praelaturae finis quam melius in praxim deducatur, maxima cura eos seliget qui cappellanorum atque religionis magistrorum munere fungentur, tum in inceptis ab Opere Dei qua talj promotis, tum

in jis quae a Praelaturae fidelibus una cum aliis suscitantur et pro quibus adiutorium spirituale ab Opere Dei postulant. In nominandis vero his cappellanis et religionis magistris, Praelaturae Ordinarius suum Consilium audire numquam omittat, atque nominationes ita factas loci Ordinario opportune communicet.

122. Praelatura numquam sibi assumit aspectus technicos et oeconomicos inceptorum de quibus in n. 121, neque de iisdem respondet; hi enim pertinent ad eorum proprietarios et gestores, utentes bonis et opibus ex propria industria vel aliis mediis similiter civilibus obtentis vel obtinendis. Ordinarie Praelatura non est proprietaria instrumentorum materialium eorum inceptorum, quorum spiritualem curam acceptat.

123. Pars Praelaturae in inceptis de quibus in numero praecedenti consistit in eorum christiana vivificatione, per opportuna media orientationis atque formationis doctrinalis ac spiritualis, necnon per congruam assistentiam pastorem, accurate quidem servata alumnorum, convictorum ceterorumque omnium legitima conscientiarum libertate. Ad hanc curam de unoquoque incepto apostolico exercendam, Centrum Operis Dei erigetur, praevia opportuna venia Ordinarii loci, melius in scriptis data.

124. Cum aliquis Praelaturae christifidelis, ad Ordinarii loci petitionem et servata Praelaturae disciplina, adiutorium directe praestat in laboribus dioecesanis, idem incumbit illis laboribus explendis ad nutum et mentem eiusdem Ordinarii, ipsique tantum de peracto labore rationem reddit.

TITULUS IV

DE REGIMINE PRAELATURAE

CAPUT I

DE REGIMINE IN GENERE

125. § 1. Praelaturae regimen committitur Praelato, qui suis Vicariis et Consiljis adiuvatur iuxta normas iuris universalis et huius Codicis.

§ 2. Potestas regiminis qua gaudet Praelatus est plena in foro tum externo tum interno in sacerdotes Praelaturae incardinatos; in laicos vero Praelaturae incorporatos haec potestas ea est tantum quae spectat finem peculiarem eiusdem Praelaturae.

§ 3. Praelati potestas, sive in clericos sive in laicos, ad normam iuris universalis et huius Codicis exercetur.

§ 4. Nomine Ordinarii Praelaturae iure intelleguntur et sunt Praelatus necnon qui in eadem generali gaudent potestate executiva ordinaria, nempe Vicarii pro regimine tum generali cum regionali Praelaturae constituti.

126. Praelatura distribuitur in circumscriptiones regionales, quarum unamquamque moderatur Vicarius, qui Consiliarius Regionalis appellatur, cuique respectiva Consilia assistunt.

127. Excepto Praelati officio, quod est ad vitam, alia omnia munera Praelaturae sunt temporaria; admittitur tamen iterata eorundem nominatio.

128. Universa Praelatura eiusque partes tantum a Praelato vel eius delegatis, etiam in omnibus negotiis iuridicis, legitime repraesentantur; munere autem Praelati vacante vel impedito, ab eo qui regimen assumit

ad normam n. 149 §§ 1 et 4;
unaquaeque vero Operis Dei
circumscriptio regionalis, etiam a
proprio Vicario.

129. § 1. Praelatura eiusque
circumscriptiones personalitate
iuridica praeditae adquirunt,
possident, administrant et alienant
bona temporalia ad normam iuris,
iuxta praescripta a Praelato statuta.

§ 2. Ex omnibus bonis, undecumque
ipsa proveniant, quae Praelaturae
adscribi possunt, illa tantum ut vere
ecclesiastica ad normam iuris
habenda sunt, quae de facto ipsi
Praelaturae a Praelato adscripta iam
fuerint.

§ 3. Praelatura vel circumscriptiones
de quibus in § 1 respondent de
obligationibus quas respective
contraxerint, atque semper legitimas
leges civiles regionis vel nationis de
qua agatur fideliter observant, intra

terminos ab ipsis constitutos
operando.

CAPUT II

DE REGIMINE CENTRALI

130. § 1. Praelatus, qui interne
dicitur Pater cuiusque officium est ad
vitam, seligitur excluso compromisso
a Congressu Generali electivo hunc
in finem convocato; electio vero
Romani Pontificis confirmatione
indiget.

§2. Congressus Generalis constituitur
a Congressistis, qui etiam vocantur
membra Congressus. Sunt
Congressistae illi sacerdotes vel viri
laici, triginta duos saltem annos nati
et iam a novem saltem annis
Praelaturae definitive incorporati,
qui ínter fideles ex diversis
nationibus vel regionibus, in quibus
Opus Dei suum laborem apostolicum
exercet, nominantur ad vitam a
Praelato, cum voto deliberativo

su; Consilii, auditis etiam
Commissione Regionali et
Congressistis respectivae Regionis.

§3. Congressus, antequam ad Praelati
electionem procedere iure valeat,
requirere et recipere debet, ab
omnibus atque singulis membris
Consilii Centralis de quo in n. 146,
propositiones circa nomen seu
nomina illius illorumve quos ad
supremum Praelaturae munus
digniores et aptiores censeant.

§4. Acceptatione ab electo rite habita,
ipse confirmationem electionis a
Romano Pontifice per se vel per
aliud petere debet.

131. Ut quis possit Praelatus eligi
requiritur:

F ut sit sacerdos membrum
Congressus Generalis, iam a decem
saltem annis Praelaturae
incorporatus, et a quinquennio
saltem in presbyteratus Ordine

constitutus, filius legitimi
matrimonii, bona existimatione
gaudens et natus saltem annos
quádraginta;

2º eluceat praeterea prudentia,
pietate, erga Ecclesiam eiusque
Magisterium exemplari amore et
oboedientia, erga Opus Dei
devotione, erga Praelaturae fideles
caritate, erga proximos zelo;

3º praeditus sit speciali cultura etiam
profana, immo laurea doctoral; in
aliqua ecclesiastica disciplina,
aliisque qualitatibus ad agendum
necessariis.

132. § 1. Praelatus, sicut
christifidelibus suae curae commissis
auctoritate praeest, unde etiam
Praeses Generalis nuncupari potest,
prae ceteris ipsum etiam excellere
virtutibus et qualitatibus decet, iis
praesertim quae propriae sunt
Operis Dei, quaeque eiusdem
spiritum consequuntur.

§ 2. In exercitio sui muneris pastoralis, Praelatus specialiter curare debet ut universum ius quo regitur Opus Dei ac omnes eiusdem legitimae consuetudines adamussim serventur, atque fideliter promovere executionem dispositionum Sanctae Sedis Praeiaturam respicientium.

§ 3. Sit ergo omnibus Praelaturae fidelibus magister atque Pater, qui omnes in visceribus Christi vere diligat, omnes effusa caritate erudiat atque foveat, pro omnibus impendatur et superimpendatur libenter.

§ 4. Curet praesertim ut sacerdotibus ac laicis sibi commissis assidue et abundanter praebeantur media et auxilia spiritualia atque intellectualia, quae necessaria sunt ad eorum vitam spiritualem alendam ac fovendam eorumque peculiarem finem apostolicum exsequendum.

§ 5. Pastoralem suam sollicitudinem manifestet consiliis, suasionibus, immo et legibus, praeceptis et instructionibus, atque si id requiratur, congruis sanctionibus; necnon visitationibus sive per se sive per alios a se delegatos peragendis, in circumscriptionibus ac Centris, in ecclesiis Praelaturae vel eidem commissis, et circa personas et res.

§ 6. Ut bono spirituali Praelati et eiusdem. valetudini consulant, sint duo Custodes seu admonitores qui tamen, ratione huius muneris, Consilium Generale non ingrediuntur. Designantur ad periodum octo annorum ab eodem Praelato inter novem Praelaturae fideles de quibus in n. 13, a Consilio Generali praesentatos. Convivunt in eadem cum Praelato familia.

133. § 1. Praeter Congressum Generalem electivum, octavo quoque anno celebrari debent Congressus

Generales ordinarii a Praelato convocati, ut de Praelaturae statu iudicium proferant et futurae actioni regiminis opportunas normas suadere valeant. Congressui praeest Praelatus vel, eius delegatione, dignior Consilii Generalis.

§ 2. Congressus Generalis extra ordinem convocandus est, cum rerum adiuncta de iudicio Praelati cum voto deliberativo sui Consilii id postulent; et ad Vicarium auxiliarem seu Vicepraesidem designandum vel revocandum, ad normam nn. 134 § 2 et 137 § 2.

§ 3. Pro Sectione mulierum adsunt etiam Congressus Generales tum ordinarii cum extra ordinem convocati, non autem Congressus electivi. His Congressibus praeest Praelatus, cui assistunt Vicarius auxiliaris, si adsit, atque Vicarii Secretarius Generalis et Sacerdos Secretarius Centralis. Congressistae

nominantur par; ratione ac viri
Congressistae.

§ 4. Audita Commissione permanenti
sui Consilii, de qua in n. 138 § 2,
Praelatus convocare potest
Praelaturae fideles non
Congressistas, diversis in mater;is
peritos, qui Congressui Generali
intersint qua collaboratores, cum
vote sed sine voto; quod etiam valet
pro mulieribus, in propria Sectione.

134. § 1. Si Praelatus opportunam seu
convenientem in Domino censeat
Vicarii auxiliaris ad normam n. 135
designationem, libere, audito suo
Consilio, ipsum nominare potest.
Consilium Generale plenum poterit
etiam Praelato sincere suggerere
opportunitatem Vicarii auxiliaris
designationis, qui ipsum in regimine
adiuvare ad octo annos valeat.
Praelatus, nisi graves obsint rationes,
Consilio facile morem gerat.

§2. Si vero Praelatus illo Vicario auxiliarī egere videatur de quo in n. 136, tunc Consilium plenum, post reī maturam in Domino considerationem, Congressum convocare poterit, cui huius Vicarii auxiliaris designatio ad normam n. 136 exclusive reservatur. Ut vero Consilium iure Congressum, hunc in finem, convocare possit, formalis requiritur deliberatio in qua duae tertiae partes Consilii pleni praedictam nominationem postulent et unus ex Custodibus. Tunc Vicarius Secretarius Generalis convocare tenetur Congressum extra ordinem Generalem, cui ipse Vicarius Secretarius Generalis praesit.

§3. In Vicario auxiliarī, excepta aetate, eadem requiruntur qualitates ac in Praelato.

135. Vicarius auxiliaris, si detur Praelato habili, hunc adiuvat, ipsum supplet absentem vel impeditum:

alias autem facultates non habet nisi quas, vel habitualiter vel ad casum, Praelatus delegaverit. De omnibus peractis Praelato rationem fideliter reddat.

136. § 1. Si Praelatus senio, infirmitate aliave gravissima causa ad gubernandum, etiam ordinario Vicario auxiliar; adiutus de quo in n. 135, certo incapax ita evadere videatur ut ipsius regiminis continuatio in damnum Praelaturae practice converteretur, tunc Vicarius auxiliaris eligi a Congressu potest in quem omnia Praelati iura et officia, excepto tamen titulo, transferantur; electus confirmationem electionis a Sancta Sede per se vel per alium petere debet.

§2. Iudicium de existentia et gravitate causarum ad designationem huius Vicarii auxiliaris, ipsiusque si casus ferat electio, vel, ex adverso, iudicium de

opportunitate Vicarii auxiliaris ordinarii designationis, vel mutationis, si hoc nempe sufficere videretur, Congressui reservatur, qui duabus ex tribus suffragiorum partibus quod magis, omnibus ponderatis, Praelaturae bono conveniat decidere debet.

137. § 1. Vicarius auxiliaris ordinarius ad nutum Praelati revocabilis est. Opportune Praelatus, sicut in nominatione, de qua in n. 134 § 1, ita etiam in revocatione suum Consilium Generale audire poterit.

§2. Vicarius auxiliaris vero qui in regimine Praelatum substituit usque ad novum ordinarium Congressum perdurat. Poterit tamen Congressus extra ordinem convocatus ipsum revocare: et tam ordinarius quam extraordinarius Congressus, speciatim si rationes suspensionis regiminis Praelati non necessario

perpetuae aestimari valeant, Consilio Generali pleno facultatem delegare ut ex morali unanimitate Praelati regimen, revocato Vicario auxiliarĩ, instaurare possit; quae Sanctae Sedĩ communicentur.

138. § 1. Ad Praelatum adiuvandum in dirigenda atque gubernanda Praelatura est Consilium Generale, constans e Vicario auxiliarĩ, si adsit, Vicario Secretario Generali, Vicario pro Sectione mulierum, qui Sacerdos Secretarius Centralis nuncupatur, tribus saltem Vicesecretariis, uno saltem Delegato cuiusque Regionis, Studiorum Praefecto et Administratore Generali, qui constituunt Consilium plenum et vocantur Consultores.

§2. Praelatus, Vicarius auxiliaris, si adsit, Secretarius Generalis, Sacerdos Secretarius Centralis et, prout casus ferant, vel unus e Vicesecretariis vel Studiorum Praefectus aut

Administrator Generalis, constituunt Commissionem permanentem Consilii. Huius Commissionis aliqua membra laici esse valent, pro negotiis tractandis quae characterem Ordinis sacri non requirant; sed Vicarius auxiliaris, Secretarius Generalis et Secretarius Centralis, qui sunt etiam Vicarii Praelati, semper inter sacerdotes nominentur.

§ 3. Ad Consilium Generale admitti semper debent, ad normam tamen n. 139, Consultores illi, qui praesentes sunt. Invitar] possunt, iudicio Praelati, et invitati assistere debent etiam illi qui ex munere absunt.

139. § 1. Ad negotia illa resolvenda, pro quibus ad normam iuris requiritur votum deliberativum Consilii Generalis, invitari semper debent illi saltem Consultores qui non sunt absentes ex munere: et ad validam Consilii decisionem quinque saltem ipsius membra adesse necesse

est. Si quinque Consultores invitari non possint, vel invitati adesse non valeant, Praelatus cum praesentibus aliquem vel aliquos designare ex Congressistis possunt, qui absentes pro illa vice substituant.

§2. Pro aliis vero quaestionibus Consilium competens est eiusdem Consilii Generalis Commissio permanens.

140. § 1. Munera Consilii Generalis hac ratione provideri debent:

Praelatus statim ac sua electio a Romano Pontifice confirmata fuerit informationes, quibus in Domino egere censeat, accurate colligit indeque per ordinem singillatim nomina candidatorum ad diversa munera Congressui proponit.

Proposito a Prelato unoquoque nomine, Congressus, ad normam iuris universalis, suffragium secretum fert. Si propositum nomen a Congressu non probetur, aliud

usque ad optatum suffragationis exitum proponere Praelatus debet.

§2. Octavo quoque anno, Praelato excepto, munera regiminis generalis omnia et singula Congressus revisioni, eadem servata ratione, subücienda sunt. Possunt iidem ad idem aliudve munus generale absque limitatione eligi. Magni tamen interest ut ex regula aliqua nova membra ad Consilium Generale designentur.

141. Vacante, qualibet canonica ratione, Consultoris alicuius munere, Praelatus ad Consultoris munus Consilio Generali candidatum proponit, quod suo secreto suffragio, ipsum, eadem ratione ac in Congressu Generali, acceptare vel reücere poterit. Hac occasione Praelato liberum relinquitur, audito Consilio, munera aliqua Consultoribus adnexa, si

opportunum videatur, inter
Consultores mutare.

142. Secretarius Generalis, Sacerdos
Secretarius Centralis et
Administrator Generalis debent esse
membra Congressus. Ad cetera
munera Consilii Generalis
tantummodo habiles sunt
Praelaturae fideles de quibus in n.
13. Prae aliis debent prudentia,
cultura et Operi Dei devotione
fulgere.

143. Licet munus ad octo annos
perduret, possunt nihilominus
Consultores ob fustas causas et
quoties bonum maius Praelaturae
requirat, a Praelato, ceteris auditis,
removeri. Liberum quoque sit
omnibus muneri renunciare, verum
renuntiatio effectum nullum habeat
donec a Praelato admittatur.

144. § 1. Inter Consultores primus est
Secretarius Generalis. Est semper
sacerdos, post Praelatum venit, si

Vicarius auxiliaris non adsit, eumque absentem vel quocumque modo impeditum supplet. Praelatum praeterea specialiter adiuvat tum in iis quae ad regimen et inepta universae Praelaturae, tum in iis quae ad res oeconomicas attinent, sed illis tantum facultatibus gaudet, quas vel habitualiter vel ad casum Praelatus delegaverit.

§2. Secretarius Generalis ad criteria, mentem et praxim Praelati, in quantum fieri possit, negotia gerat atque expediat: nihil proinde eorum, quae a Praelato gesta vel praescripta sunt, innovare valeat, sed semper Praelato et Consilio erit quam maxime fidelis.

§3. Eius insuper est labores inter membra Consilii distribuere, ab eisque fidelem muneris adimpletionem exigere.

145. § 1. Ut Praelato adiumentum specialiter praestet in moderanda

Sectione mulierum Operis Dei (cfr. n. 4 § 3), est Vicarius, qui Sacerdos Secretarius Centralis nuncupatur.

§ 2. Post Secretarium Generalem venit et illis facultatibus gaudet, quas vel habitualiter vel ad casum Praelatus delegaverit. Debet esse quadraginta saltem annos natus.

146. § 1. Sectio mulierum regitur a Praelato cum Vicario auxiliara, si adsit, Vicario Secretario Generali, Vicario Secretario Centrali et Consilio Centrali, quod Assessoratus Centralis appellatur, et eundem locum habet in Sectione mulierum ac Consilium Generale in Sectione virorum.

§2. Assessoratus Centralis constat e Secretaria Centrali, Secretaria Assessoratus, tribus saltem Vicesecretariis, una saltem Delegata cuiusque Regionis, Studiorum Praefecta, Praefecta Auxiliarium et Procuratrice Centrali.

§3. Ad munera Assessoratus Centralis nominat Praelatus in Congressu mulierum, eadem ratione ac in Congressu virorum vocat ad munera Consilii Generalis. Secretaria Centralis et Procuratrix Centralis seligantur inter Congressistas; ad alia munera Assessoratus vocentur Numerariae de quibus in n. 13.

147. § 1. Pro quaestionibus oeconomicis, Praelato assistit Consilium ab ipso nominatum, quod vocatur Consultatio Technica cuique praeest Praelatus vel, eius delegatione, Administrator Generalis.

§2. Rei oeconomicae rationes, saltem semel in anno, ab Administratore Generali subsignatae, Praelato eiusque Consilio sunt exhibendae.

§3. Consilium simile habetur pro quaestionibus oeconomicis Sectionis mulierum.

148. § 1. Quin ratione muneris Consilium Generale ingrediantur, adsunt etiam Procurator seu Agens precum, qui debet esse semper sacerdos, quique Praelaturam apud Sanctam Sedem ex delegatōne habituali Praelati repraesentat; necnon Sacerdos Rerum Spiritualium Praefectus, qui directioni spirituali communi omnium Praelaturae fidelium, sub ductu Praelati et Consilii, praeponitur.

§2. In cura spirituali Aggregatis et Supernumerariis Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis praestanda eius Praesidem Generalem Praefectus adiuvat, iuxta facultates habitualiter vel ad casum ipsi a Praeside delegatas.

§3. Procurator et Praefectus a Praelato, audito Consilio, ad octo annos nominantur.

149. § 1. Vacante munere Praelati, regimen tenet Vicarius auxiliaris, si

sit; aliter Secretarius Generalis vel, post eum, Vicarius Secretarius Centralis; iisque omnibus deficientibus, sacerdos Congressista maiore suffragiorum numero ab iis designatus, quibus ius est constituendi Commissionem permanentem Consilii Generalis.

§2. Qui regimen assumit, tenetur obligationibus et gaudet potestate Praelati, iis exclusis quae ex rea natura vel iure Praelaturae excipiuntur. Congressum Generalem electivum convocare tenetur intra mensem a muneris vacatione, ita ut intra tres menses ab eadem vacatione celebretur, aut, si maiore de causa intra statutum tempus coadunara nequeat, statim ac causa impediens cessaverit.

§3. Vacante munere Praelati, qui muneribus fungitur regiminis, tum generalis Praelaturae tum circumscriptionum, in exercitio

suorum munerum pergunt, donec,
post novum electum Praelatum, in
ipsis confirmentur vel substituantur.

§ 4. Praelato impedito, iuxta normas
in § 1 statutas procedendum est; si
vero, in gravioribus rrum adiunctis,
eadem servari nequeant,
coadunentur membra Consilii
Generalis quae id facere valeant, sub
moderatione dignioris, et sacerdotem
quoad fieri possit membrum
Congressus designent, qui regimen
Praelaturae ad interim assumat.

CAPUT III

DE REGIMINE REGIONALI ET LOCALI

150. Praelati de consensu sui Consilii
est circumscriptiones regionales,
quae vocantur Regiones vel Quasi-
Regiones, erigere, mutare, aliter
definire, et etiam suppressere.

151. § 1. Regimini uniuscuiusque Regionis praeponitur Vicarius, qui Consiliarius Regionalis nuncupatur, quemque nominat Praelatus cum voto deliberativo sui Consilii; Consiliario assistit Consilium, quod vocatur Commissio Regionalis, constans membris usque ad duodecim, designatis inter Praelaturae fideles de quibus in n. 13 pariterque nominatis a Praelato audito suo Consilio, cuius consensus requiritur in casibus de quibus in nn. 157 § 1 et 159.

§ 2. Inter membra Commissionis peculiarem locum obtinet Defensor, cuius munus est adimplerionem normarum huius Codicis fovere.

152. § 1. Quando non sint omnia elementa necessaria ad novas Regiones constituendas, possunt etiam Quasi-Regiones a Praelato, cum voto deliberativo sui Consilii, erigi.

Eas moderantur Vicarii, qui Vicariis Regionalibus iure aequiparantur.

§ 2. Potest etiam Praelatus, audito suo Consilio, Delegationes erigere directe a se dependentes, Vicario delegato conferens facultates quas, iuxta casus, intra limites tamen facultatum Consiliariorum Regionalium, committendas censuerit.

153. Ad meliorem curam exercendam laboris apostolici in aliqua circumscriptione, Praelatus, audito suo Consilio eisque quorum intersit, erigere potest Delegationes a Commissione eiusdem circumscriptionis dependentes, quarum unicuique praeponatur Vicarius delegatus, cum proprio Consilio, opportunis facultatibus praeditus.

154. Ipso facto erectionis, Regiones, Quasi-Regiones et Delegationes a Praelato dependentes iuridicam

adquirunt personalitatem.

Delegationes in circumscriptione regionali constitutae donari possunt personalitate iuridica in erectionis decreto.

155. Circumscriptiones personalitate iuridica gaudentes, de quibus in n. 154, quoad negotia iuridica et, in genere, quoad quaestiones omnes, repraesentantur, praeterquam a Praelato eiusque delegatis, tantummodo a respectivis Vicariis, qui agere possunt per se vel per alios opportuno mandato praeditos.

156. § 1. Munera regionalia conferuntur a Praelato, audito Consilio, exceptis tamen Consiliario, Sacerdote Secretario Regionis et Administratore Regionali, qui nominari debent ad normam nn. 151, 157 § 1 et 159, et durant ad quinquennium, nisi pro omnibus vel pro aliquibus Commissionis membris tempus in munere ad octo annos

prorogetur. Pro Delegatis autem Regionalibus valet praescriptum n. 140 §§ 1 et 2.

§ 2. Ad munera Commissionis in Quasi-Regionibus et Delegationibus vocat Praelatus, audito suo Consilio.

157. § 1. In singulis Regionibus, nomine et vice Praelati semperque ad ipsius mentem, respectivus Vicarius Consiliarius Regionalis cum alio sacerdote, qui Sacerdos Secretarius Regionalis vocatur, nominato a Praelato cum voto deliberativo sui Consilii et audito Assessoratu Centrali, Sectionem mulierum moderantur, una cum Consilio regional; mulierum, quod Assessoratus Regionalis appellatur et eundem locum habet in Sectione mulierum ac Commissio Regionalis in virorum Sectione.

§ 2. Assessoratus Regionalis constare potest membris usque ad duodecim, selectis inter Numerarias de quibus

in n. 13; nominatur a Praelato, audito Assessoratu Centrali, cuius consensus requiritur pro muneribus Secretariae Regionalis et Procuratricis Regionalis.

§ 3. Ad munera Assessoratus in Quasi-Regionibus et Delegationibus vocat Praelatus, audito Assessoratu Centrali.

158. Si quando in aliqua Regione impedimentum obstiterit, quod impossibilem reddat cum Praelato eiusque Consilio communicationem et, perdurante hac impossibilitate, defuerit aliquod Commissionis membrum, ad eius munus ipsa Commissio alium Numerarium per maiorem suffragiorum partem eliget. Cum autem plus quam tria Commissionis membra defuerint vel cum ipsa Commissio, expleto tempore sui mandati, renovanda sit, Numerar ad munera vocabuntur maiortate item suffragiorum a

speciali coadunatione constituta ex omnibus Regionis Congressistis non impeditis omnibusque membris Commissionis, cui coadunationi praeerit Congressista ordine praecedentiae senior. Quodsi, quavis de causa, tres saltem Congressistae coadunationi adesse non potuerint, vocandi erunt etiam tres Numeraria ex jis de quibus in n. 13, ordine praecedentiae seniores Regionis, non impediti: absentibus Congressistis, praeerit ordine item praecedentiae senior inter praesentes. Paritatem suffragiorum dirimet praeses coadunationis.

159. § 1. In unaquaque Regione, pro rebus oeconomicis, Vicario Regionali assistit Consilium oeconomicum, seu Consultatio Technica, cuius membra ab eodem Vicario designantur, cuique praeest Administrator Regionalis, a Praelato nominatus cum voto deliberativo proprii Consilii.

§ 2. Consultatio similis habetur pro quaestionibus oeconomicis Sectionis mulierum.

160. In unaquaque circumscriptione, quin ratione muneris ad Commissionem pertineat, est Sacerdos Rerum Spiritualium Praefectus Regionalis, ad vitam spiritualem omnium Praelaturae fidelium sub ductu Consiliarii fovendam. Consiliario insuper adiumentum praestat in cura spirituali Aggregatis et Supernumerarias Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis danda, iuxta facultates habitualiter vel ad casum ipsi a Consiliario delegatas. A Praelato, auditis Consiliario et Defensore Regionis, ad quinquennium nominatur.

161. § 1. In singulis circumscriptionibus Centra erigantur, ad normam n. 177.

§ 2. Regimen locale constituitur a Directore cum proprio Consilio. Munera sunt ad triennium, et conferuntur a Consiliario, audito suo Consilio.

§ 3. Conceptus Centri, hoc in Codice, potius personalis est quam territorialis, et potius regionalis quam localis.

§ 4. Ut apta habeatur Praelaturae fidelium cura, ad idem Centrum adscribi possunt fideles, vel etiam fidelium Coetus, qui sive in eadem civitate sive in diversis civitatibus vel dioecesibus commorentur.

§ 5. Sunt proinde in Praelatura Centra autonoma et Centra ab aliis dependentia, quia adhuc canonice non sunt erecta.

CAPUT IV

DE ADUNATIONIBUS REGIONALIBUS

162. Ad impensio-rem formationem fidelium Praelaturae et ad meliorem evolutionem actionis apostolicae, decimo quoque anno, in singulis Regionibus, Adunationes de more celebrentur, in quibus transactae periodi experientiae habitae perpendantur.

163. Praeter Adunationes ordinarias, possunt etiam extraordinariae celebrari, in una vel in pluribus circumscriptionibus, quoties Praelatus, auditis Consilio Generali et Commissione Regionali, id expedire duxerit.

164. Adunationem, de mandato Praelati, convocat Vicarius circumscriptionis designans locum et tempus sessionis, tribus saltem mensibus ante eiusdem celebrationem.

165. Adunationibus praesunt Praelatus vel eius delegatus, cui assistunt Vicarius et Delegatus

circumscriptionis. A secretis est iunior laicus praesens.

166. § 1. Adunationi cuiusque circumscriptionis interesse debent:

1° omnes qui in Commissione aliquo munere funguntur, vel functi sunt;

2° omnes Congressistae circumscriptioni adscripti;

3° omnes eiusdem Regionis sacerdotes alique fideles Praelaturae, qui cuncti inter eos de quibus in n. 13 adnumerentur;

4° Directores Centrorum Studiorum;

5° item, a Praelato designati, Directores locales.

§ 2. Vocari etiam possunt ad Adunationem alii Praelaturae fideles, diversis in materiis periti, ut eidem intersint qua collaboratores.

167. § 1. Fovenda est quam maxima omnium Praelaturae fidelium participatio in Adunationibus, requirendo eorum communicationes, notulas de experiētiis habitis aliaque id genus.

§ 2. Eadem de causa, si adiuncta id suadeant, haberī queunt plures coetus diversis in sedibus, quo maior harum Adunationum efficacitas obtineatur.

§ 3. Notae vel schedae de experiētiis habitis postularī quoque possunt ab Operis Dei Cooperatoribus, etiam non catholicis, qui suggestiones praebeant pro studio thematum laboris.

168. Omnes ad Adunationem convocati, mense saltem ante eiusdem celebrationem, mittant ad secretarium notas, schedas, animadversiones, etc., quas proponere conveniens eis videatur; ex ipsis autem atque ex omnibus

propositionibus Adunationi transmissis (n. 167), commissio, a praeside nominata, elenchum quaestionum iis qui intersint submitteendarum conficiat.

169. Conclusiones Adunationis vim praeceptivam non habent quousque ad probationem receperint Praelati, audito suo Consilio, nisi ex rei natura votum deliberativum ipsius Consilii requiratur. Ipse Praelatus opportunas etiam feret instructiones per organa directionis ordinaria.

170. Adunationes Sectionis mulierum celebrentur, congrua congruis referendo, iuxta normas in n. 162 et sequentibus traditas.

CAPUT V

DE RELATIONIBUS CUM EPISCOPIS DIOECESANIS

171. Praelatura Operis Dei immediate et directe subiicitur Sanctae Sedi,

quae eius spiritum et finem probavit
et eius quoque regimen ac
disciplinam tuetur et promovet in
bonum Ecclesiae universae.

172. § 1. Cuncti Praelaturae
christifideles tenentur humiliter
Romano Pontifici in omnibus
oboedire: haec oboediendi obligatio
fideles omnes forti ac dulci vinculo
obstringit.

§2. Ordinariis quoque locorum
subiiciuntur ad normam iuris
universalis, eadem ratione ac ceteri
catholici in propria dioecesi, iuxta
praescripta huius Codicis.

173. § 1. Praelati est sollicite
exsecutioni mandare omnia decreta,
rescripta aliasque dispositiones
Sanctae Sedis quae Praelaturam
respiciant, itemque eidem Sanctae
Sedi opportunas relationes praebere,
ad normam iuris, de statu
Praelaturae deque eiusdem
apostolica activitate.

§ 2. Ipse Praelatus curabit, etiam quia spiritus Operis Dei maximo amore filialem unionem cum Romano Pontifice, Christi Vicario, colit, ut eiusdem Magisterii documenta et acta universam Ecclesiam respicientia ab omnibus Praelaturae fidelibus accurate cognoscantur, utque eorum doctrinam ipsi diffundant.

174. §1. Universus labor apostolicus quem Praelatura, iuxta propriam naturam propriumque finem, exsequitur, ad bonum singularum Ecclesiarum localium confert, atque Praelatura debitas cum Auctoritate ecclesiastica territoriali relationes semper colit.

§2. Curet praeterea Praelatus ut, singulis in circumscriptionibus, Vicarius competens, per se vel per alios eiusdem Vicarii nomine, habituales relationes servet cum Episcopis in quorum dioecesibus

Praelaturae christifideles resideant, et praesertim ut frequenter colloquatur cum illis Episcopis locorum in quibus Opus Dei Centra erecta habet, necnon cum iis qui muneribus directivis funguntur in respectiva Conferentia Episcopali, ad illas indicationes ab iisdem Episcopis suscipiendas, quas Praelaturae fideles filiorum animo in praxim deducant (cfr. n. 176).

175. Praeter orationes quas pro Romano Pontifice et Episcopo dioecesano eorumque intentionibus quotidie Praelaturae fideles recitare tenentur, maximam eis reverentiam et amorem demonstrabunt, quae etiam impense apud omnes fovere contendant.

176. Singulis in circumscriptionibus, auctoritates Praelaturae curent ut eiusdem fideles bene cognoscant normas directivas pastorales a competenti ecclesiastica Auctoritate

territoriali, nempe a Conferentia Episcopali, ab Episcopo dioecesano, etc., statutas, ut unusquisque, iuxta propria adiuncta personalia, familiaria et professionalia, eas ad effectum deducere et in ipsis cooperara valeat.

177. § 1. Ut labor apostolicus Praelaturae in aliqua dioecesi incipiat, mediante canonica erectione primi Centri, ex quo exerceri possit apostolatus collectivus, debet prius informari loci Ordinarius, cuius venia requiritur, melius scripto data.

§2. Quoties laboris progressus aliorum Centrorum erectionem in dioecesi suadeat, procedendum semper est ad normam paragraphi praecedentis.

§ 3. Simplex mutatio domicilii alicuius Centri Praelaturae, intra terminos eiusdem civitatis, si Centrum non habeat adnexam

ecclesiam, communicari debet in scriptis loci Ordinario, etsi novam veniam non requirat.

178. § 1. Erectio Centri secum fert potestatem erigendi aliud Centrum pro mulieribus fidelibus Praelaturae Administrationi prioris Centri addictis, ita ut de iure et de facto duo sint Centra in unoquoque Operis Dei domicilio (cfr. n. 8 § 2).

§ 2. Secum fert pariter facultatem oratorium pro usu fidelium Praelaturae aliorumque in unoquoque Centro ad normam iuris habendi, ibique SS.mum Sacramentum asservandi atque functiones pro labore apostolico opportunas peragendi. In oratorias sollemnis Sanctissimi Sacramenti expositio nocte primam feriara sextam uniuscuiusque mensis praecedenti fieri saltem debet.

§ 3. Concedere potest Ordinarius Praelaturae ut sacerdotes, iusta de

causa, bis in die, immo, necessitate pastorali id postulante, etiam ter in diebus dominicis et festis de praecepto Sanctam Missam celebrent, ita ut non solum fidelium Praelaturae necessitatibus, sed etiam aliorum dioecesis fidelium, dum possibile sit, satis faciant.

179. Episcopus dioecesanus ius habet visitandi singula Centra Praelaturae canonice erecta (cfr. n. 177) in iis quae ad ecclesiam, sacrarium et sedem ad sacramentum Paenitentiae pertinent.

180. Ad erigendas ecclesias Praelaturae vel, si res ferat, ad eidem committendas ecclesias in dioecesi iam existentes, fiat singulis in casibus opportuna conventio, ad normam iuris, inter Episcopum dioecesanum et Praelatum vel competentem Vicarium Regionalem. lis in ecclesiis, una cum normis in unaquaque conventionem statutis,

servabuntur dispositiones generales
dioecesis ecclesias saeculares
respicientes.

TITULUS V

DE STABILITATE ET VI HUIUS CODICIS

181. § 1. Hic Codex fundamentum est
Praelaturae Operis Dei. Ideo sanctae
eius normae habeantur, inviolabiles,
perpetuae, unique Sanctae Sedi
reservatae tam quoad mutationem
quam quoad novorum praeceptorum
inductionem.

§2. Tantummodo mutationem
alicuius Codicis praescripti, seu in
eius corpus aliquam innovationem,
aut denique temporariam vel
perpetuam alicuius normae
suspensionem vel expunctionem a
Sancta Sede poscere valet Congressus
Generalis Praelaturae, dummodo hic
certitudinem habeat de necessitate

huius mutationis, innovationis,
suspensionis vel expunctionis.

§3. Ut haec certitudo iuridice existat,
si agatur de textus expunctione,
innovatione vel indefinita
suspensione, requiritur diuturnum
experimentum, duorum
ordinariorum Congressuum
Generalium auctoritate
confirmatum, quod tertio ordinario
Congressui Generali subiiciatur et
duabus saltem ex tribus
suffragiorum partibus comprobetur.

§4. Si agatur vero de temporaria
alicuius Codicis praescripti
suspensione, Praelatus, cum voto
deliberativo unius tantummodo
Congressus Generalis, a Sancta Sede
eam exposcere valet: requiritur
tamen ut plan Sanctae Sedi
manifestetur tempus ad quod
postulata suspensio est protrahenda.

182. § 1. Auctoritates Praelaturae
omnibus modis Codicis

applicationem fovere, ipsamque prudenter et efficaciter exigere tenentur, scientes illum medium esse certum sanctificationis fidelibus Praelaturae: quapropter adversus ipsum Codicem nec consuetudo aliqua, nec desuetudo, praevalere umquam poterunt.

§2. Facultas dispensandi ab adimpletione disciplinara Codicis, in his quae dispensara valent et non manent Sanctae Sedi reservata, competit tantummodo Praelato cum voto consultivo sui Consilii, si de rebus magni momenti agatur, vel dispensatio universae Praelaturae sit concedenda: secus, sufficit decretum Vicarii Regionalis, de consensu proprii Consilii.

183. § 1. Praescripta Codicis quae leges divinas vel ecclesiasticas referunt, propriam quam ex se habent obligationem retinent.

§2. Codicis praescripta, quae regimen spectant; item, quae definiunt regiminis necessarias functiones aut munera quibus exercentur, quoad nempe ipsorum cardinales normas; pariterque praescripta quae naturam et finem Praelaturae statuunt et consecrant, in conscientia, pro gravitate materiae, obligant.

§ 3. Praescripta denique mere disciplinaria vel ascetica, quae sub praecedentibus paragraphis huius numera non cadunt, per se sub reatu culpaе directo non obligant. Insuper, quaelibet ex ipsis, vel minimis, ex formali contemptu violare, peccatum est; quod si transgressio ex ratione vel fine non recto fiat, vel ad scandalum moveat, peccatum contra respondentes virtutes secum fert.

184. Praelati cum voto deliberativo sui Consilii est illa omnia definire quae ad practicam huius Codicis

interpretationem, applicationem et adimpletionem spectant.

185. Quae de viris hoc in Codice statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam parí iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rea natura aliud constet aut explicite specialia praescripta ferantur.

DISPOSITIONES FINALES

1. Quae ad haec usque tempora ab Apostolica Sede in favorem Operis Dei concessa, declarata vel approbata sunt, integra manent, quatenus cum eius regimine iuridico Praelaturae personalis componuntur. Pariter vim suam retinet venia ad haec usque tempora concessa a locorum Ordinariis, ut Operis Dei Centra canonice erigantur necnon successivus actus erectionis.

2. Hic Codex, quoad omnes fideles Operi Dei iam incorporatos, tum

sacerdotes tum laicos, necnon quoad
sacerdotes Aggregatos et
Supernumerarios Societatis
Sacerdotalis Sanctae Crucis, vim
exserere incipiet a die 8 decembris
an. 1982.

Hi omnes iisdem obligationibus
tenentur et eadem servant iura, quae
habebant in regimine iuridico
praecedenti, nisi aliud expresse
statuant huius Codicis
praescriptiones vel de iis agatur quae
ex normis novo hoc iure abrogatis
proveniebant.

.....

pdf | automatisch generiertes
Dokument von [https://opusdei.org/de/
article/statuten/](https://opusdei.org/de/article/statuten/) (15.03.2026)